

SCRIPTORVM CLASSICORVM
BIBLIOTHECA OXONIENSIS



OXONII
E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATA

RECOGNOVIT

BREVIQUE ADNOTATIONE CRITICA INSTRVXIT

W. M. LINDSAY

IN VNIVERSITATE ANDREANA LITTERARVM HVMANIORVM PROFESSOR

EDITIO ALTERA

OXONII

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO

Oxford University Press, Walton Street, Oxford OX2 6DP
London Glasgow New York Toronto
Delhi Bombay Calcutta Madras Karachi
Kuala Lumpur Singapore Hong Kong Tokyo
Nairobi Dar es Salaam Cape Town
Melbourne Auckland
and associate companies in
Beirut Berlin Ibadan Mexico City

ISBN 0 19 814625 6

First edition 1903

Second edition 1929

Reprinted 1946, 1950, 1954, 1959, 1962, 1965, 1969
1977, 1981

All rights reserved. No part of this publication may be reproduced, stored in a retrieval system, or transmitted, in any form or by any means, electronic, mechanical, photocopying, recording, or otherwise, without the prior permission of Oxford University Press

Printed in Great Britain
at the University Press, Oxford
by Eric Buckley
Printer to the University

PRAEFATIO

Post egregios labores **Schneidewini, Friedlaenderi, Gilberti**, non potui sperare me ad emendanda haec epigrammata multum conferre posse; illud potius in animo habui, ut codicum testimonium aliquanto plenius accuratiusque exhiberem. Nam cum Schneidewin in tres familias codices nostros disposuisset, Friedlaender autem demonstrasset earum lectiones fere ex tribus antiquis recensionibus derivatas esse, omnino necesse erat ut in apparatu critico tripertita contextus forma, quantum fieri posset, explicaretur. Quod quidem Schneidewin, quippe cui notitia satis ampla codicum deesset, non potuit facere, non fecerunt Friedlaender neque Gilbert, quorum editionibus alia apparatus critici forma esset electa.

Hanc igitur rationem, lector benevole, scito me secutum esse, ut, neglectis codicum singulorum aberrationibus, trium illorum archetyporum, unde defluerunt codices quotquot exstant omnes, lectiones exponere sim conatus, et eas quidem his siglis denotatas, *A*[^], *B*[^], *C*[^]. Et sicubi trias (vel dyas) lectionum revera ad antiquarum recensionum diversitatem ascribenda visa est aut videri potuit, unamquamque scripturam suo siglo notatam exposui, ut:

XIII lxx, 2 in piscina ludere *A*[^]: in lautorum (inl.) condere *B*[^]: in lautorum (inl.) mandere *C*[^],

XIV xxix, 2 mandatus *A*[^]*B*[^]: nam uentus *C*[^],

I iv, 8 proba *A*[^]*C*[^]: proba est *B*[^],

I v, 1 naumachias *B*[^]: naumachiam *C*[^];

sicubi autem manifestum erat unam tantummodo lectionem

PRAEFATIO

veram et antiquam, ceteras perperam descriptas esse, satis habui veram lectionem in contextu collocare, corruptas in apparatu critico, ut :

I xxvii, 2 *in contextu* quincunces, *quod habet B^A*] qui nunc est *C^A*,

interdum breviter monere scribendi errorem subesse, ut :

III xvii, 5 amittere *C^A* (*pro amm-, i. e. adm-*).

Noli autem mirari me eodem semper ordine tres testes citavisse *A^A*, *B^A*, *C^A*; eo enim consilio feci, nequando oblivisceris non de lectione unius archetypi, Caroli Magni puta temporibus conscripti, agi, sed plerumque de trium antiquarum recensionum lectionibus, adeo ut identidem iudicium quoddam Paridis, inter tres pares, existere videatur¹, ut in XIII xxvi, 1 tendentia *A^A*: durantia *B^A*: ditantia *C^A*.

Dolendum sane est tam tenue de lectionibus primae familiae archetypo (*A^A*) testimonium esse. Eius enim recensionis ne unus quidem liber plenus exstat, sed tria tantum florilegia, *H*, *T*, *R*, et ea quidem verius duo quam tria, quoniam *T* ex *H* descriptum est². Porro cum *R* disticha epigrammata plerumque captaverit, aliam vero viam *T(H)* secutum sit, saepius unum testem quam duos habemus³. Quoties igitur unius codicis testimonium vix

¹ De tribus antiquis recensionibus et de tribus nostrorum codicum archetypis plenius disputavi in libello (*The Ancient Editions of Martial*, Parker, Oxon. 1902) hoc anno edito.

² Quod demonstraverunt L. Traube (*Berl. Phil. Woch.*, XVI, 1050), H. Schenkl (*Jahrb. Class. Phil. Suppl.*, XXIV, 400). Itaque codicis *T* testimonium in iis epigrammatibus quae *H* praebet (Spect. xix-xxx, I, iii-iv) neglexi, v. g. I, iii, 5 fuerunt, ubi runt *H*.

³ Spect. xxv, xxix, xxx et *H* et *R* exhibent; I xxxvii, lxx, II xxiv, xxxii, lxix, lxxii, lxxxviii-xc, III xxx, xxxvi, xlv, xlvi, lxxv, lxxvi, lxxxv, IV xv, xvi, xx, xxv, xlii, lxxi, lxxiii, lxxviii, lxxxv, lxxxviii, V i, vii, ix, x, xiii, xix, xxvii, xxix, xxxiii, xxxiv, xlv, xlvi, lii, lvii, lxvi, lxxiv, lxxvi, lxxix, lxxxii-lxxxiii, VI v, xv, xvi, xviii, xxxiv-xxxvi, xl, xlv, lii, lvii, lx, lxv, lxxx, lxxxiv, VII xii, xxiv, xxxvii, lxxiii, VIII xxi,

PRAEFATIO

sufficere visum est, aut codicis siglum, non archetypi, apposui aut ad hunc modum¹ scripsi, '*T(vix tamen A^A)*.' '*T(et fort. A^A)*.' Quin etiam lectiones aliquot, quae manifestam calami aberrationem prae se tulerunt, nolui commemorare, ne apparatus criticus plus iusto extenderetur. De archetypo codice unum illud pro certo affirmare licet, obscena verba decentioribus saepe in eo (vel potius in antiqua recensione unde derivatus est) commutata esse, ut in I xc, 6-7. Credo eum Gallici monasterii nescio cuius fuisse et in paginis singulis 36 versus in duabus columnis (in utraque 18) scriptos exhibuisse. Spectaculorum liber, qui nonnisi in codicibus primae familiae conservatus est, in initio stetit, unde factum est ut lib. III Epigrammatum 'lib. IV' appellaretur, libri IV-XII eodem modo 'V-XIII' numeris designarentur. Quanquam casu evenit ut duo (tres) qui exstant codices ex eo derivati florilegia sint, ipse sine dubio codex integer Martialis epigrammatum erat. Unum, ni fallor, folium (XIV lxxxiii-cvi) interciderat, quatuor aliorum (XIII xxiv-xlvi, xlix-lxxiv, lxxv-xcix 1, xcix 2-cxxiv) turbatus erat ordo. Epigrammati quod in initio lib. VI in *A^A* stetit, '*Rure morans quid agam respondi pauca rogatus*,' &c. (Schneid. *Supposit.* i: *Anth. Lat.* ed. Riese 26), cum Schneidewino, Friedlaendero, Gilberto nolui in hac editione locum dare.

xxxiii, lv, IX xc, X ii, viii, xix, xxxvi, xliii, lvii, XI xix, xxxvii, xciii, civ, XII xii, xiv, xl, XIII iii, vi-viii, xiii, xxiv, xxviii, xxxiii, xxxviii, xli, xlvi, xlvi, lii, lxxii, lxxiv, lxxv, lxxvii, lxxxvi, lxxxvii, xc, xcii, xciv, xcvi, xcvi-c, cxxii, cxxv, cxxvii, XIV v, vii, xii, xxx, xxxvi, xlii, cxlv, clxi, clxxxiii-cxcvi, cxcviii, ccviii, ccix, ccxvii-ccxviii, ccxx, ccxxii, ccxxiii et *R* et *T*.

Sicubi epigramma aut pars epigrammatis in codice primae familiae apparet, lectorem in apparatu critico monui, ut ad Spect. i '*habet T*,' ad I lxx, '*vv. 1-2 habet R*.'

¹ Idem saepe feci in lemmatibus iis in fine lib. XIV¹ pro quibus solius codicis *Q* (raro *F*) testimonium praesto est.

PRAEFATIO

De singulis codicibus haec fere monenda :

H, Hauptii Vindobonensis (cod. lat. 277), a Sannazario ex 'Haeduum finibus atque ex Turonibus' a. 1502-3 Neapolim allatus, unde postea Vindobonam devenit (cf. Traube, Schenkl l. c.), florilegium est saec. IXⁱ initio conscriptum. Hodie folia tantummodo tria et septuaginta manent, quorum foll. 71-73 haec Martialis epigrammata exhibent, Spect. xix-xxx, I iii-iv. Singulae paginae sunt 20 (21) versuum. Scripturae semi-Merovingicae specimen phototypice expressit Chatelain (*Pal. Class. Lat.*, tab. 101). Sed qualia fuerint excerpta Martialis epigrammata in *H*, melius ex *T* colligere poteris, qui codex ex florilegio *H* descriptus est.

T, Thuaneus (postea Colbertinus) Parisinus (lat. 8071), florilegium est saec. IX^o-X^o minusculis litteris Carolinis conscriptum. Singulae paginae 74 versus in duabus columnis (in utraque columna 37) exhibent. In fol. 24 r. i (sub fin.) incipit Martialis, sub hoc titulo: EX LIBRIS M. VALERII MARCIALIS EPIGRAMMATON BREVIATVM. A Spectaculis ad lib. I Epigrammatum (fol. 25 v. i) nullo indicio¹ transitur, ad lib. II nullo, sed ante excerpta ex lib. III habes (fol. 29 r. i) FINIT EX II (*sic*). INCIPIT EX III (*sic*); tum ante lib. IV (fol. 31 r. i) FINIT EX IIII. INCIP. EX V; ante lib. V (fol. 33 r. i) EXPLIC. EX QVINTO. INCIP. EX SEXTO; ante lib. VI (fol. 34 v. i) FINIT EX LIB. VI. INCIP. CAPITVLA EX VII ET RELI- QVIS. Reliquae praescriptiones sunt: (fol. 36 v. ii) EXPL. EX VII^{mo}, (fol. 41 v. i) EX X^{mo}. INCIP. EX XI^{mo}, (fol. 45 v. i) EXPLICIT EX XII^{mo}. INCIP. EX XIII^{mo}. Xenia et Apophoreta non excerpta sunt sed plene exscripta, quod etiam praescriptiones profitentur in fol. 46 v. ii, M. VALERII MARCIALIS EXENIAM (*sic*), et in fol. 48 r. ii, M. VALERIA MARCIAL XEMIA.

¹ Neque in *H* hoc loco ulla novi libri significatio est. Illud etiam animadvertendum, quod in *T* prava librorum numeratio a lib. III incipit.

PRAEFATIO

INCIP. APHORETA FELICITER, et subscriptio in fol. 51 r. ii, M. VALERII MARCIALIS APOPHORETA EXPLICIT FELICITER. Scribam codicis *H* prius voluisse in breviata forma etiam Xenia exhibere inde colligo, quod in *T* in fine lib. XIIIⁱ ante Xenia stant XIII xlvii, lii, xviii, lxiii, ci, lxxxviii, lxxxix, quae epigrammata iterum suo quidque loco reperiuntur. Martialem sequitur (fol. 51 r. ii) Epithalamium Catulli, deinde magna vis epigrammatum quae in Anthologia Latina habes. Quam neglegenter codex descriptus sit, ex iis locis apparet ubi parentis (*H*) testimonium restat. In Spectaculis enim Thuanei scriba non solum plurima verba perperam reddidit sed etiam xxv, xxv b, xxix, xxx, omnino praetermisit, unde factum est ut ordo epigrammatum xxvii-xxx in editionibus turbatus sit; nam *H* (nec contra dicit *R*) sic collocat¹: xxix, xxvii, xxx, xxviii.

Quae igitur hic illic in Xenii et Apophoretis epigrammata in *T* desunt, ea etiam in *H* defuisse non est cur credas; cum tamen in Apophoretis inter epigr. lxxxii et epigr. cvii nullum omnino epigramma *T* exhibeat, nullum etiam *R*, id potius eo referendum est quod folium unum archetypi interciderat. Nam turbatus epigrammatum in Xenii ordo in *TR* docet quot versus singula archetypi folia ceperint. In *T* enim sic collocantur: i-xxiii, xlix-lxxiv, xxiv-xlvi, xcix 2-cxxiv, lxxiv-xcix 1, cxxv-cxxvii.

R, Vossianus Leidensis (Q. 86), saec. IX^o minusculis litteris Carolinisscriptus, florilegium est, quod olim in bibliotheca Cluniacensis monasterii (conditi a. 910) fuisse demonstravit Peiper (*praef. in Alcimium Avitum*, p. lxvi). Habet excerpta in foll. 99 v. ii-105 r. ii ex IV lxxi-XIV, in foll. 105 v. ii-108 v. ii ex Spect.-IV lxii. Excerpta esse fatetur praescriptio in

¹ Verum ordinem in hac editione observare debui. Lege igitur sic: XXVII (XXIX) Cum traheret, XXVIII (XXVII) Saecula Carpophorum, XXIX (XXX) Concita veloces, XXX (XXVIII) Augusti labor hic.

PRAEFATIO

fol. 105 v. ii INCIPIT EXCERPTIO DE LIBRIS MARTIALIS EPIGRAMMAT. Et in hac quidem parte codicis nulla significatio est transitus a libro in librum; in alia parte praescriptiones sunt: (ante lib. V) EXPLICIT EX V LIBRO. INCIP. EX VI; (ante lib. VI) INCIPIT EX SEPTIMO; (ante lib. VII) EXPLICIT EX VII LIBRO. INCIPIT EX VIII; (ante lib. VIII) EXPL. EX VIII. INCIPIT EX IX; (ante lib. IX) EXPLICIT EX IX. INCIP. EX X; (ante lib. X) FINIT EX X. INCIPIT EX XI LIB.; (ante lib. XI) FINIT EX XI LIB. INCIP. EX XII; (ante lib. XII) EXPLICIT EX XII LIBER. INCIP. EX XIII. Ante excerpta ex Xenii et Apophoretis¹ nulla praescriptio est. Pentadii et aliorum poemata quae florilegium habet reperies in Anthologia Latina². Excerptorum ex Martiale in *R* accuratissimam descriptionem ab H. J. Muellero confectam Friedlaender mihi amicissime dedit, necnon collationem suam codicis *T* in exemplari Teubneriano adscriptam. Ipse etiam utrique codici operam dedi ut Schneidewinianum apparatus criticum emendarem. Quod Schneidewin non satis scribae et correctoris (*R*²) manus internovit, id non multum obfuit, nam corrector exemplar³ idem atque scriba adhibuit, interdum tamen coniectura usus, ut in I xviii 6 Campano] tampano *R*¹, timpano *R*¹. Xenia in *R* sic esse disposita refert Schneidewin: iii, vi-viii, x, xiii-xiv, xlix, lii, lvii-lix, lxii,

¹ Sic appellantur in omnibus tribus archetypis duo ultimi libri Martialis, non 'lib. XIII' et 'lib. XIV.'

² Quomodo ex Martialis operibus, ita ex corpore nescioquo variorum poematum (ex Anthologia Salmasiana Parisina (10318), saec. VIII¹, descripto!) excerpta habent *T(H)R*. Ordinem tamen verum (quem ex Anthologia Salmasiana cognoscere licet) satis temere turbavit *R*. Itaque turbatum in *R* ordinem aliquot epigrammatum Martialis (II xxxii, lxxx, VIII xxxiii, X viii, &c.) non semper dignum habui qui in apparatu critico memoraretur.

³ Ex excerptorum codice (sicut *T*) non ex integro Martialis codice descriptum esse *R* inde colligo, quod apparet hic illic ordinem esse turbatum et nonnulla casu non consilio esse praetermissa.

PRAEFATIO

lxiv-lxvii, lxix-lxx, xxv-xxvi, xxx, xxxv, lxxii-lxxiv, xxiv, xxviii, xxxiii, xxxviii, xli, xlvi, xlviij, c, cxxii, lxxv, lxxvii, lxxxvi-lxxxvii, xc, xcii, xciv, xcvi, xcviij-cxix 1, cxxv, cxxvii. Scripturae imaginem praebet Chatelain (*Pal. Class. Lat.*, tab. 152).

Secundae familiae codices subscriptionibus suis¹ testantur archetypum suum (*B*^A) recensionem Torquati Gennadii anno 401 P. C. factam exhibuisse. Id archetypum in Italia litteris minusculis Langobardis scriptum (cf. *Class. Rev.* xv, 417) epigrammata librorum I-IV hoc ordine disposuit: I Epist. (*om.* i-ii)-xiv; xlviij-ciii, 2; xv-xli, 3

¹ Quarum tabellam hic habes:

- (ante lib. II) ego Torquatus Gennadius emendavi feliciter Quirine floreas,
 - (" III) ego Torquatus Gennadius emendavi [lege] feliciter,
 - (" IV) emendavi ego Torquatus Gennadius Constantine feliciter floreas,
 - (" V) ego Torquatus Gennadius emendavi floreas,
 - (" VI) Gennadius Torquatus emendavi Constantine [lege] feliciter],
 - (" VII) ego Torquatus Gennadius emendavi feliciter,
 - (" VIII) ego Torquatus Gennadius emendavi Quirine floreas [lege] feliciter,
 - (" IX) ego Torquatus Gennadius emendavi [lege] feliciter,
 - (" X) emendavi Torquatus Gennadius feliciter,
 - (" XI) emendavi Torquatus Gennadius feliciter floreas lege,
 - (" XII) emendavi ego Torquatus Gennadius feliciter,
 - (" XIII i) emendavi ego Torquatus Gennadius floreas,
 - (" XIII iv) emendavi ego Torquatus Gennadius in foro Divi Augusti Martis consulatu Vincentii et Fragitii (Fraugi-?) virorum clarissimorum feliciter,
 - (" XIV) emendavi ego Torquatus Gennadius cum caeteris Gennadi vatibus Quirine floreas [lege] feliciter,
- (in fine lib. XIV) emendavi ego Torquatus Gennadius feliciter cum tuis Gennadi vatibus Quirine (!) floreas (!).

Librorum discrepantiam invenies in libello meo (in appendice B) supra memorato.

PRAEFATIO

(interciderant xli, 4-xlvii); IV xxiv, 2—lxix, 1; I ciii, 3—IV xxiv, 1; IV lxix, 2 sqq. Amissum enim erat exemplaris unum folium (I xli, 4-xlvii) et traiectus unus quaternio (IV xxiv, 2—lxix, 1). Aut ipse codex erat quem Politianus¹ memorat Florentiae in Bibliotheca Laurentiana fuisse aut prorsus similis. Spectacula deerant (cf. ad Spect. i infra). Lemmata minusculis litteris scripta et colore oblita fuisse credo (*Class. Rev.* xv, 417).

Codicum secundae familiae antiquissimus est L(ucensis), nunc in bibliotheca regia Berolini (lat. fol. 612), olim monasterii S. Mariae in Curtis Orlandigorum apud Lucam² scriptus est saeculo duodecimo a tribus scribis, quorum primus foll. 1—19 (I—V xxxix. 7), alter, homo neglegentissimus, foll. 20—37 (V xxxix, 8—IX lxix tit.), tertius foll. 38—57 (IX lxix—XIV fin.) confecit. Ultimum folium ('57') nunc desideratur, in quo erant XIV clvii. 2—XIV fin. Praeter correcturas coeuales (L²), sunt quae paulo recentior manus (L³) addiderit ex codice nescioquo tertiae familiae (v.g. in vacua prima pagina duo epigrammata, I i—ii) et mutaverit. Etiam recentior manus (L⁴), Italo aut codice aut libro impresso usa, antiquo contextui hic illic obfuit, praesertim in initio codicis ubi antiqua lectio interdum obscurata est. Utramque manum recentiorem in apparatu meo critico neglexi. In

¹ *Miscell.* xxiii 'In hac ipsa gentis Mediceae bibliotheca publica codex habetur vetustissimus Langobardis litteris, quem et Domitius (sc. Calderinus) olim Florentiae pellegit. . . Hanc quam dicimus scripturam (sc. *mulo* VI lxxvii. 7) reperias'; *Epist.* vii. 35 'Iube igitur adiri —potes enim—Suetonii Martialisque vetustissima exemplaria, quorum illud quidem Romae Vaticana bibliotheca patet, hoc vero Florentiae publica Mediceae familiae: reperiet is, cui negotium dederis, *culcitam* vel in Tyberio vel in Apophoretis.'

² Nam videtur ipse codex esse qui a Zacharia (*Iter Italicum* I, p. 26) circ. ann. 1750 commemoratur his verbis: 'antiquissimus ac forte undecimo saeculo conscriptus Martialis codex.' Cf. *Studi Italiani* viii, 124.

PRAEFATIO

singulis paginis sunt 48 (47, 49) versus in duabus columnis (24 in utraque columna) dispositi. Huius codicis optimi lectiones plenissime alibi (*Ancient Editions of Martial*, App. A) exposui (cf. *Class. Rev.* xv, 413).

P(alatinum) Vaticanum (lat. 1696) chartaceum saec. XVI codicem eundem esse ac 'Palatinum' Gruteri credidit Scheidewin, negavit Gilbert, demonstravit Maleyn (*Martialis*, S. Petersb. 1901), qui Schneidewini collationem pluribus locis correxit. Lemmata epigrammatum et Gennadianae subscriptiones usque a fine lib. VI¹ desunt¹, adeo ut Palatini testimonium de lemmatibus in Xenii et Apophoretis desideretur.

Ex eodem parente atque P ortus est Q, Arondellianus, olim Pyrkheimerianus, codex chartaceus Musei Britannici (Arondel. 136), saec. XV^o in Italia septentrionali exaratus, sed postea, ni fallor, in Bavariam allatus². Bavaricus possessor (Q²) totum codicem ab initio ad finem emendavit (immo vitiavit), Itala recensione pessimae notae usus, et epigrammata quae aut a scriba (Q¹) praetermissa erant aut revera in parente codice deerant supplevit. Quae aut ille aut tertia manus (Q³) mutavit addiditque, ea aliena prorsus neglexi. Et codicem quidem Q peiorem quam P testem esse inde apparet, quod in exemplari, unde Q descriptus est, aliena aliquot eodem modo addita erant, quo etiam ipse Q

¹ Ultimum lemma est ad V lxxx, nisi quod titulus primi epigrammatis lib. VI¹ (COMMENDATIO LIBELLI) cum subscriptione Gennadiana conflatus exstat.

² Nam in fine codicis addidit Q² epigrammata aliquot sub titulo marginali 'Carmina mea sunt,' in quibus mentio fit de oppidis Werda (hodie 'Donauwörth') et Aureato (hodie 'Eichstädt'), ut

Burchardum si forte Harscher, pie lector, amasti.
 . . . vir bonus Aureatensis,
 Ecclesiae custos canonicusque simul,

et

De Eich quoi nomen erat claraque ex stirpe Iohannis
 Aureatensis tu hic praesulis ossa vides.

PRAEFATIO

aliena accepit. Nam Arondellianus Spectacula¹ in initio manu scribae ipsius (*Q*¹) scripta exhibet, et hic illic singula epigrammata et versus, qui in archetypo *B*^A deerant et 'Italas' lectiones multo plures quam *P* ostendit. Sed una in re hic codex laudandus, quod lemmata epigrammatum et Gennadianas subscriptiones usque ad finem operis conservavit.

Lectiones eius in libris I-VI plurimas, sed non omnes, alibi exposui (*Class. Rev.* xiv, 353; xv, 44), unde intelleges quam saepe in apparatus criticum et Schneidewinianum et Friedlaenderianum vitiosa additamenta Bavarici possessoris (*Q*²) admissa sint. Trium manuum, *Q*¹, *Q*², *Q*³, specimen praebuit Chatelain (*Pal. Class. Lat.*, tab. 151).

Eadem vitia atque *Q* habet *f*, codex chartaceus Mediceus (XXXV 39), in Italia scriptus, iniuria a Schneidewino (praef. XCII), qui ipse codicem non viderat, tanquam 'liber vulgaris' sive Italiae recensione damnatus. Ea sane quae nescioquis² (*f*²) mutavit et addidit, ex Itala recensione derivata, nullius momenti sunt, sed ipse contextus contextum archetypi *B*^A sequitur, nisi quod parens codex, unde *f* descriptus est, aliquot lectionibus et additamentis, ex Itala recensione sumptis, vitiatus erat, et iis quidem paulo pluribus quam parens codex Arondelliani, praesertim in initio et in fine³. Spectacula tamen deerant, quae manu alia (*f*²), cum epigrammatibus iis, quae scriba praetermiserat, sunt addita. Porro scriba negligens praetermisit in libro I epigrammata I xlviii-lix, rubricator in libro I (cum IV xxv-lxix) et in libris VII-XIV neque lemmata epigrammatum neque sub-

¹ Spectaculis praeposuit haec, quae nolo inter veras Gennadianas subscriptiones includere: EPIGRAMMATON M. VALERII IVLII MARTIALIS LIB. I INCIPIT EGO TORQVATVS GENNADIVS EMENDAVI FELICITER QVI REFLORVI. LEGE FELICITER.

² In fine sunt haec: 'Liber S. Anastasii Vespucii;' tum altera manu 'et Georgii Antonii eius fratris.'

³ In libri XIV epigrammatibus cxix-ccxxiii testem *f* citare plerumque nolui.

PRAEFATIO

scriptiones Gennadianas supplevit¹; miro errore duae partes exemplaris, VII x, 13-lxi, 8 et XIV xci-cxviii, bis exaratae sunt. Noli tamen nimis contemnere hunc codicem; nam locis plurimis ubi *PQ*, ex eodem parente orti, eandem labem exhibent, veram lectionem cum *L* servavit (cf. *Class. Rev.* xvi. 315).

Ex his quattuor codicibus, *L*, *P*, *Q*, *f*, archetypi (*B*^A) contextus satis certe indagari potest. Alius testis est *F* (Lorenzianus) Mediceus (XXXV 38), codex membranaceus saec. XVI ex exemplari deperdito descriptus, quod contextum ex codice nescioquo² tertiae familiae sumptum lectionibus Gennadianis interpolaverat. In editione Friedlaenderiana plenam notitiam de hoc codice reperies, qui tamen nunc, post repertum Lucensem, minoris est momenti. In ultimis libris subscriptiones Gennadianas exhibet. Beneficio Friedlaenderi etiam codicis *F* lectiones, quem cum editione Teubneriana contulit C. Froben, praesto mihi fuerunt.

W (ittianum) fragmentum, saec. XIII^o scriptum, non est omnino mentione indignum, de quo haec Schneidewin: 'Carolus Wittius folium codicis sub integumento veteris libri Perusiae a se repertum et Vratislaviam allatum Francisco Passovio commodavit. . . . Continebantur illo folio libri X epigr. 36, 7-41, 5, sed ut epigr. 39 praeter pauca verba iam legi nequiret et 38, 3 pariter atque 36, 6 abscessissent. . . . Sola igitur epigrammata 37, 38 legi poterant.' Lectiones eius in Schneidewiniano apparatu critico reperies.

Tertiae familiae archetypum (*C*^A) saeculo aut octavo aut nono litteris Carolinis minusculis in Gallia esse exaratum

¹ Ultima subscriptio est in fine lib. VI¹ (vel initio lib. VII¹). Quae nunc in lib. I et VII-XIV lemmata apparent addidit *f*².

² In codice Ambrosiano (H 39 sup.), saec. XI¹-XII¹, transposita esse epigrammata III xxii-lxiii post V lxvii, sicut in *F*, me monuit Maleyn. Sed in archetypo *C*^A, ni fallor, iam scriptis codicibus *EXV*, unus quaternio (III xxii. 1-lxiii. 4) de loco proprio vagatus erat (cf. infra).

PRAEFATIO

videtur. In libro X^o aliquot (quattuor?) folia exciderant, nam sedecim epigrammata, lvii-lxxii, in codicibus nostris desiderantur. Spectacula deerant (cf. ad Spect. i infra). Contextus autem eius archetypi quam mendosus saepe fuerit documento sit epigramma xiii^m eiusdem libri:

Ducit ad auriferas quod me Salo Celtiber oras,
Pendula quod patriae visere tecta libet,
Tu mihi simplicibus, Mani, dilectus ab annis
Et praetextata cultus amicitia,
Tu facis; in terris quo non est alter Hiberis
Dulcior et vero dignus amore magis,

pro quibus haec fere C^A:

Ducit ad auriferas quod me salo celtiber *urse*,
pendula quod patriae uisere tecta libet,
Tu mihi simplicibus *mansuetus* ab annis
et *praetextateculius amicitiae*,
Tu facis; in terris *quod* non est *mater* hiberis
dulcius et uero dignus amore magis.

Huius familiae cum codices exstent plurimi, satis habui quattuor antiquissimos testes citare, *EXAV*; nam emendandi licentia ne his quidem (praesertim *X*) prorsus ignota in ceteris latius evagata est, adeo ut raro lectionem 'Italam' reperiatur quae non in aliquo huius familiae codice anticipata sit. Et fidelissimus quidem testis est *E*, codex Bibliothecae Facultatis Advocatorum Edinburgensis, foll. 108, saec. X^o ineunte Carolinis minusculis litteris scriptus, in 4^{to} quadrato, ita ut singulae paginae 50 versus in duabus columnis (25 in utraque columna) contineant. Sedano Edinburgam allatum esse docet inscriptio in vacuo primo folio: 'Iacobus Marchant hunc Librum possidet ex dono francisci Desmeulieuci amici sui. Sedani 3 decembris 1632.' Qui codex quam religiosè verba archetypi reddiderit ex his versibus intelleges:

PRAEFATIO

XI lxx. 3 Nec te blanditiae nec verba rudesve querellae] rudesueque pelle *E*: rudesue puella *X*: rudesque puellae *A*,

III xiii. 1 Dum non vis pisces, dum non vis carpere pullos] Dum non uis pisces leporem *EA*: Dum pisces leporem *X*: Dum non uis pisces *B*,

IX lxii. 4 odore] odere *E*: olere *X*: odore *A*,
colore] colere *E*: calere *X*: colore *A*,

XI lv. 1 quod te] quo die *EX*: quotidie *A*: cotidie *V*.

X xi. 7 donavit Orestae] donauit esse *E*: donabitur esse *X*: donabit esse *A*.

Lectiones codicis Edinburgensis alibi publici iuris feci ('Ancient Editions of Martial,' App. A).

X Puteaneus Parisinus (lat. 8067) in 4^o quadrato, foliorum 89, nitidissime in pulcherrima membrana scriptus, codex saec. XIⁱ esse vulgo dicitur (saec. IX^o tribuit Chatelain). Hunc illum esse, qui in antiquo catalogo bibliothecae monasterii Corbeiensis ('Corbie') numero 218 signatus est (Delisle 'Cabinet des MSS.' II, 427) credit Chatelain (*Pal. Class. Lat.*), qui in tabula 151 imaginem paginae unius expressit. Et in hoc codice et in *E* lemmata maiusculis litteris exarata proprium semper versus sibi vindicant; hexametri versus a littera maiuscula incipiunt, non pentametri neque hendecasyllabi. Multo tamen fallaciorem testem esse *X* quam *E* declarant haec:

IX xx. 3 Felix o quantis sonuit vagitibus et quas] Felix quantis (*om. o*) C^A: Felix quae tantis *X*,

VIII lxxviii. 1 uictoria] uiatoria *EA*: uiatori *X*,

II lvi. 1 male audit] malaudit *EA*: me laudat *X*,

IX xxvii. 7 pilosorum] philosophorum *EA*: philosophorum *X*.

Verius testimonium praebet recentior codex *A* Vossianus Leidensis (Q. 56), in 4^{to} minore, foll. 169 (cum versibus 30 in singulis paginis), saec. XI^o scriptus, et manu paulo recentiore

PRAEFATIO

plurimis locis correctus. Exemplaris (archetypi C^A ?) unde descriptus est formam indicat transpositio (nullo indicio signata) partis libri III¹ (xxii. 1–lxiii. 4), quae post V lxvii. 5 (in tertio versu folii 48 r.) locum habet. Eadem transpositio in libris impressis aliquot apparet (cf. supra). Hic illic adscripta sunt in margine *scribe, vertas, haec scribe, uertas haec*, unde colligo codicem nostrum in scholis esse adhibitum. Primo quaternione amisso codex nunc incipit ex I lviii. 5.

V(aticanus) (lat. 3294), olim 'Thadaei Ugoleti Parmensis¹,' a quo ad Fulvium Ursinum pervenit, codex² 99 foliorum, saec. X^o exaratus est. Plurima correxit manus saec. XVⁱ (V^2), quae etiam Spectacula et alia epigrammata quae deerant addidit. Haec novicia neglexi. Imaginem scripturae praestitit Chatelain (*Pal. Class. Lat.*, tab. 152); lectiones nonnullas Maleyn in libello supra memorato, unde patebit peiorem esse testem V quam EA , v. g. IX xx. 3 (cf. supra) *O felix quantis*; XI lxxxii. 4 *Per longasque preces pro Praeceptis per longos*; XII lvii. 3 *cogitandi pars pro cogitandi Sparse* (cogitandis pars C^A); XIV xviii ARCvLI pro KALCVLI (HALCVLI C^A).

Qui quattuor codices, $EXAV$, cum sufficiant ad archetypi C^A contextum indagandum, aliorum tamen huius familiae codicum nonnunquam mentionem in apparatu critico feci, praesertim sicubi Itolorum coniecturas anticipaverunt:

Epored (iensis) ('Ivrea') fragmenti, saec. XIIⁱ, quod continet XIII i–cx (cf. Goetz, Loewe in '*Leipz. Stud.*' 1878),

B, Vossiani Leidensis (Q. 121), saec. XIIⁱ, (cf. Schneidewin in praef. p. lxxiii),

G(udiani) Wolfenbuettelensis (157), saec. XIIⁱ, in quo, amisso quaternione, X v–XII lxxix nunc desiderantur,

C, Vossiani Leidensis (F 89), saec. XIVⁱ, codicis initio

¹ Cf. Politian. *Miscellan.* xxiii.

² Cf. Maleyn ('*Martialis*,' cap. ii).

PRAEFATIO

laceri, desinentis in XIV clxxvii, 'antesignani,' ut Schneidewini verba usurpem, 'librorum recentiorum.' Neque tamen operae pretium habui accuratius investigare utrum aliquis eorum ex melioribus huius familiae codicibus descriptus sit. Sunt certe quae codicem G ex A esse ortum¹ indicent, ut: V vi. 6 *nexiat* (A), *nesciat* (G) pro *sentiat*; xvi. 1 *hoc pro quod*; IX xxxiv. 6 *escas* pro *Arcas*; xcii. 6 (nec do.)–8 (Cond.) *om.*; xciii. 7 *nobis* pro *bis*; ci. 13 *ad se ut* pro *adseruit*; XIV cxli. 2 *latare* (natare G) pro *latere*; et C ex X , ut: I xxii. 6 *doctus* pro *Dacus*; III xlii. 1 *contendere* (X), *tendere* (C) pro *condere*: VI x. 12 *Nondum taxata* pro *Quae nondum data* (taxata C^A) *sunt*; VIII vi. 12 *ebibitisque* pro *vividiusque* (vividiusque C^A); vii. 4 *dicere cinna potest* pro *Cinna tacere potes* (potest C^A); IX xliii. 14 *uorcis* pro *Vindicis* (uincis C^A); lxxxvii. 5 *zonas* pro *Nastam* (zonas tam C^A); xciii. 2 *tuli* pro *cado*; XIV xxxiv. 1 *placidus* (om. X), *quondam* (C); necnon Eporediensia fragmenta cum X interdum conspirant, ut XIII ii. 2 *referat* pro *noluerat* (rouerat C^A), et B ex V derivatum declarant ea quae Maleyn ('*Martialis*,' p. 45) con-gessit, ut: II xxxiii. 4 *Cur non basio te Philaeni* (*Phillene*) *falsa es* pro *Haec qui basiat o* (basiat C^A) *Philaeni fellat*; IV xxv. 2 *cons* pro *conscia* (conscientia C^A); XIV xcv. 2 *namque labor si sit*; IV lxvi. 6 *inagitata* corr. *ex-V*, *inexagitata B*; VIII xxxvi. 11 *tangit* corr. *pulsat V*, *tangit pulsat B*; XII l. 2 *non* corr. *nunc V*, *nunc non B*. Quod tamen prius credidi codicem A cum E artiore vinculo coniunctum esse (cf. Friedlaenderi praef. p. 87 adn.), nunc dubito. Nam quamvis saepe videantur ambo una contra codicem X (ne alios dicam) stare, id partim eo referendum est quod maiore religione ipsa verba archetypi reddiderunt, partim eo quod Schneidewin, cui Friedlaender et Gilbert nimis fidem

¹ Unde fit ut revera unius A testimonio niti credam haec: XIV cxxi. 2 *uocor* (AG), II lx. 2 *num* (A²G), X iv. 6 *audit* (AG).

PRAEFATIO

habuerunt¹, prave de lectionibus codicis *X* testatus est. Hic illic melius *A* quam *E* ipsas litteras archetypi conseruavit, ut in XI lviii. 12 *leicazin* (*A*), *leicatin* (*E*).

Sunt etiam florilegia quaedam, quae excerpta nonnulla e Martiale praebent neque raro inter se mire consentiunt, quae tamen vix familiae certae et quarto archetypo 'Da' referenda videntur. Suspicionem movent lectiones aliquot, ut in VIII lix. 4 *piceata* pro *piperata*, XIV clxii. 1 *facilis* pro *fragilis* (fracilis *C^A*), neque mihi omnes dignae visae sunt quae memorarentur, ut in X xiv. 1 Cum cathedras altus portet tibi Tuca minister *N*. Florilegia dico:

Fris(ingense) Monacense ('Munich'), saec. XIⁱ, de quo haec Schneidewin: 'In foll. 118-119 v. exhibet *Excerpta Martialis*. Posuit excerptor vel singula vocabula vel sententias vel denique integra epigrammata . . . Ex Spectaculis nihil inest nec ultra VI xliiv procedere videntur.'

N(ostradamense) Parisinum (lat. 188), saec. XIII^o non inferius (cf. Schneid.² pp. vi-x).

D(iezianum) Berolinense (60), saec. XIVⁱ, quod in foll. 27 r.-28 v. continet *Proverbia Marcialis* (cf. Friedl. praef. p. 90).

Lectionum (**M**) manu Bongarsii² in marginibus exemplaris editionis Colinaei (Paris. 1539), quod in bibliotheca publica Bernensi (G 152) est, adscriptarum paucissimas commemoravi: vereor ne omnino nullas commemorare debuerim; adeo incertum est unde Bongars eas sumpserit. Nam quamvis interdum fontem nominatim dixerit, ut 'Dous'(am), 'Scal'(igerum), 'Memm'(ium), 'Gr'(uterum), 'V'(eterem) 'C'(odicem), interdum incertiore dicendi ratione usus, ut 'Quidam affirmant in quodam vet. c. legi.'

¹ Ipse confiteor me non statim intellexisse quam saepe testimonium Schneidewini de hoc codice, tam facili lectu, abiendum sit.

² Eae quas Petrus Danielis prius ibidem adscripserat ex codice *B* haustae esse dicuntur.

PRAEFATIO

'Ita in MS. quodam legi sunt qui affirmant,' plerumque tamen nihil dixit. Possunt sane aliquot earum ex *R* codice (per Scaligerum, puta) aut ex *T* manuisse; cave tamen ne hanc vel illam deperdito primae familiae codici temere referas. Nam optimas lectiones saepenumero in noviciis Italis Martialis codicibus reperiri quis ignorat?

Ital(os) libros recentes cur credam melioris ex codicibus deperditis accepisse quam codices servati praebent non invenio, ne in Spectaculis quidem¹. Itaque lectiones eae quas siglo 'Ital.' notavi pro coniecturis habendae.

Virorum doctorum coniecturas² tam paucas in apparatu critico apparere nequis miretur. Martialis enim versus tripartita forma, tribus diversis e fontibus derivata, nobis praesto sunt, unde fit ut consensui codicum maxima fides attribuenda sit. Nihilominus in Spectaculorum libro, ubi testes *B^AC^A* deficiunt, maior locus est arti coniecturali: illud etiam est monendum, consensum archetyporum nunquam speciosiore quam veriore esse, siquidem fieri potest ut aut duo archetypa casu in eundem errorem delapsa sint aut archetypi unius contaminatus ex altero contextus sit aut ex eodem vitioso fonte ambo archetypa sint derivata, ut:

IX, vi, 4 non vis, Afer, havere: vale] afer nonuis *A^AC^A*.

X, xxx, 1 O temperatae dulce Formiae litus] temperante *B^AC^A*. Ne citationes quidem versuum Martialis apud recentiores scriptores volui contra archetyporum nostrorum consensum opponere; adeo incerta est eiusmodi testium auctoritas. Quid enim erat cur brevem apparatus criticum

¹ Cf. Schneid. praef. X, Friedl. praef. 91. Vereor igitur ne nimia facilitate his lectionibus in apparatu critico locum dederim: i, 4 dissimuletque deum; v, 4 donat; vi b, 1 Nemees et vasta; ix, 4 cornu; xiii, 2 suspirans; xxiv, 5 spectes.

² Housmani benevolentiae acceptas refero duas Marklandi (ad V xxxviii. 7 et II lxvi. 4), quae sunt in margine libri, olim Marklandi, nunc Gualteri Ashburneri.

PRAEFATIO

perversa citatione epigrammatis xxix libri Vⁱ, quae apud Aelium Lampridium est, onerarem? Exclusi etiam lectiones eas quas singula epigrammata Martialis in marginibus alienorum codicum adscripta exhibent. Ne codex quidem Lipsiensis saec. XI (cf. Haupt, *Opusc.* i, 286), in quo occurrunt (inter alia Martialis epigrammata) X xv, XIV ccxii mutata aliquantum forma et sine dubio falsa, testis mihi visus est idoneus.

In titulis epigrammatum libb. I–XII archetypa A^AC^A, et per libros I–IV etiam B^A, adeo consentiunt ut ex eadem recensione, a Martialis temporibus non longe remota, hausisse eos videantur. In libris V–XII novos finxit Genadius. Et aliquot eorum, ut ad Spect. vi DE IVL. (leg. *Idibus* aut *Kalendis*) APRIL. QVA DIE OMNIS VENATIO PER MVLIERES CONFECTA EST, ex fonte non solum perantiquo sed etiam optimo manavisse negare nolim. Cum tamen multi aut editorum parum doctorum aut indoctissimorum librariorum operam prae se ferant, iure ab editionibus hodiernis lemmata excluduntur per omnes libros praeter Xenia et Apophoreta. Nam per hos duos libros lemmata a sua ipsius manu provenisse poeta testatur (XIII iii. 7; XIV ii). Sed de hac tota re plenius alibi (*'Ancient Editions of Martial,'* v) disputavi.

Orthographiam, quae in epigrammate non parvi refert, diligenter rettuli ad trium archetyporum optimum testimonium, ita tamen ut Brambachianam, siquando dubitatio suberat¹, adhiberem et formas aliquot lectori nimis incommodas abicerem, ut *quod pro quot, nequit pro nequid, at pro ad* (etiam, ne inconstantiae reus essem, *set, apud*).

Sed satis praefatus sum. Restat ut gratias agam viro optime de Martiale merito, L. Friedlaendero, qui mihi

¹ De formis *coturnus* (cf. *tus*), *a* (interiect.) non dubitare debui. De quibus et de tota re orthographica propediem plenissime disputare cogito.

PRAEFATIO

benevolentissime collationes codicum *RTF* praebuit, et praefectis harum bibliothecarum, Vaticanae, Berolinensis, Leidensis, Havniensis Regiae, quorum auxilio amicissimo aut codices ipsos aut notitiam de codicibus sum adeptus.

Versuum aliquot quos alibi tractavi indicem subiungo:—

(*'Ancient Editions of Martial,'* Parker, Oxon. 1902).

Spect. vi tit. (p. 54); 6 (p. 12); vii, 7 (p. 12); I i–ii (p. 18); x, 1 (p. 21); xii, 12 (p. 9); xiii, 2 (p. 15); xviii, 6 (p. 23); xc, 6 (p. 9); cviii, 9 (p. 15); cxvi, 2 (p. 16); II Epist. (p. 17); ii, 4 (p. 34); vii, 1 (p. 20, p. 55); 5 (p. 55); xviii, 1, 8 (p. 20); xx, 2 (p. 15); lvi, 1 (p. 59); lxi, 6 (p. 22); lxxxvii, 2 (p. 36); III iii (p. 60); xiii, 1 (p. 22); xxvii, 1 (p. 22); xlii, 4 (p. 36); xlvi, 9 (p. 58); xlix tit. (p. 54); 1, 6–7 (p. 15); lviii, 24 (p. 58); lxxii, 3 (p. 15); IV v, 9 (p. 17); xiv, 7 (p. 34); xlii, 6 (p. 16); lix, 2 (p. 36); lxii, 1 (p. 58); lxvi, 8 (p. 5); 9 (p. 16); lxxiii, 4 (p. 16); V iv, 1, 6 (p. 20); viii, 5 (p. 5); xi, 2 (p. 36); xix, 5 (p. 16); xxx, 6 (p. 34); xxxiv, 3 (p. 16); xxxvii, 13 (p. 59); VI xxvii, 8 (p. 16); 1, 3 (p. 56); VII xxix, 1 (p. 56); xxxiii, 3 (p. 59); xxxiv, 8 (p. 59); xxxvii, 6 (p. 16); xlvi, 6 (p. 17); lxxix, 4 (p. 49); lxxxvi, 8 (p. 16); xcii, 1–2 (p. 15); 10 (p. 17); VIII Epist. (p. 17); ix (p. 50); xx, 2 (p. 57); xxxiv, 2 (p. 58); lxx, 3 (p. 16); IX Epist. (p. 17); v, 8 (p. 16); vi, 4 (p. 17); li, 3 (p. 23); lxi, 9 (p. 22); lxxxviii, 2 (p. 26); c, 4–5 (p. 20); X i, 4 (p. 16); xiv, 3 (p. 56); xv, 8 (p. 22); xx, 15 (p. 19); xxiv, 11 (p. 17, p. 56); xxx, 1 (p. 55); 17 (p. 16); xlviii, 23 (p. 14); lxxvii, 4 (p. 49); XI iii, 1 (p. 58); xxii tit. (p. 54); xxvii, 13 (p. 15); lxix, 11 (p. 31); lxxxiv, 1 (p. 32); xc, 3 (p. 59); xcvi, 1 (p. 43); XII xvii, 3 (p. 59); xxviii, 1 (p. 43); xxxviii, 5 (p. 57); xliv, 1 (p. 57); lxxviii, 2 (p. 12); xc, 3 (p. 32); xciv, 9 (p. 58); xcvi, 5 (p. 56); XIII iv tit. (p. 35); XIV ccxii, 2 (p. 59).

(*'Class. Rev.'* xv, Nov.)

I xlii, 4; III lviii, 29; IV xxxviii, 1; xliii, 11; VI iii, 6; xliii, 9; IX lxviii, 10; X xii, 9; lvi, 6; XIII iv tit.

(*'Class. Rev.'* xvi, Jul.)

II Epist. 4; VII xx, 13.

(*'Class. Rev.'* xvii, Feb.)

Spect. iv, 5; vi, 6; xii, 7; xvi–xvi b; I lxxviii, 2; lxxxix, 2;

PRAEFATIO

cxvii, 13; II Epist. 1, 12; xxix, 10; xlvi, 8; lii, 1; lxxiii;
lxxiv, 7; lxxix, 1; lxxxiv, 4; III xx, 12; xciii, 20; IV xxxiv,
1-2; VI lxxiv, 4; VIII lviii; lix, 4; IX li, 3; xc, 1; xciv; X
xx, 2; xxx, 17; lxx, 5; lxxxviii, 1; XI xxxv, 2; lxxx, 7; XII
xxviii, 1; xxxviii, 2; lvii, 15; lxxvi, 1; lxxxviii 1; XIII, xxvii
tit.; xli tit.; lxxv, 2; XIV xxix, 2; xl tit.; lxxxiii tit.

W. M. LINDSAY.

Scribendam Andrapoli mense Octobri
MDCCCCII.

SIGLA

- A* = Vossianus Leidensis primus (Q 56), saec. xi
A^Λ = archetypum codicum *HTR*
B = Vossianus Leidensis secundus (Q 121), saec. xii
B^Λ = archetypum codicum *LPQFW*
C = Vossianus Leidensis tertius (F 89), saec. xiv
C^Λ = archetypum codicum *EXAV Epored. BGC*
cod. = codex archetypus qui solus est in hac parte testes
codd. = codices archetypi qui soli sunt in hac parte testes
D = Diezianum florilegium Berolinense (60), saec. xiv
E = Edinburgensis bibliothecae Facultatis Advocatorum,
saec. x in.
Epored. = Eporediense fragmentum, saec. xi. Continet XIII
i-cx
F = Florentinus membranaceus bibliothecae Laurentianae
(xxxv 38), saec. xv
f = Florentinus chartaceus bibliothecae Laurentianae
(xxxv 39), saec. xv
Fris. = Frisingensia excerpta bibliothecae Monacensis,
(6292) saec. xi
G = Gudianus Wolfenbuttelensis (157), saec. xii
H = Hauptii florilegium Vindobonense (277), saec. ix in.
Continet Spect. xix-xxx, I iii-iv
Ital. = Itolorum doctorum coniecturas codices et libri im-
pressi qui exhibent
L = Lucensis bibliothecae regiae Berolinensis (fol. 612),
saec. xii
M = marginalia Bongarsiana in libro impresso biblio-
thecae publicae Bernensis (G 152)
N = Nostradamensia excerpta Parisina (188), saec. xiii
P = Palatinus Vaticanus (1696), saec. xv

SIGLA

- Q = Arondellianus Musei Britannici (136), saec. xv
 R = Vossianum florilegium Leidense (Q 86), saec. ix
 T = Thuaneum florilegium Parisinum (8071), saec. ix-x
 V = Vaticanus (3294), saec. x
 W = Wittianum fragmentum Perusiae repertum, saec.
 xiii. Continet X xxxvii-xxxviii
 X = Puteanus Parisinus (8067), saec. x

M. VAL. MARTIALIS
 EPIGRAMMATON LIBER

I

BARBARA pyramidum sileat miracula Memphis,
 Assyrius iactet nec Babylona labor;
 nec Triviae templo molles laudentur Iones,
 dissimulet Delon cornibus ara frequens;
 aëre nec vacuo pendentia Mausolea
 laudibus inmodicis Cares in astra ferant.
 omnis Caesareo cedit labor Amphitheatro,
 unum pro cunctis fama loquetur opus.

5

II

Hic ubi sidereus propius videt astra colossus
 et crescunt media pegmata celsa via,
 invidiosa feri radiabant atria regis
 unaque iam tota stabat in urbe domus.
 hic ubi conspicui venerabilis Amphitheatri
 erigitur moles, stagna Neronis erant.
 hic ubi miramur velocia munera thermas,
 abstulerat miseris tecta superbus ager.

5

Hunc libellum, qui 'spectaculorum' vocatur, non habent B^A C^A; credo, quia praecesserat titulo M. Val. Mart. Epigr. lib. I incipit

I hab. T 2 Assyrius *Alciatus*: assiduus A^A 3 Iones *Scaliger*: honores A^A 4 Delon *Io. Fr. Gronovius*: deion T: que deum *Ital.*
 8 loquatur *Ital.* II hab. T

EPIGRAMMATON LIBER

lex erat, ad digitum posita concurrere parma :— 5
 quod licuit, lances donaque saepe dedit.
 inventus tamen est finis discriminis aequi :
 pugnare pares, subcubere pares.
 misit utrique rudes et palmas Caesar utrique :
 hoc pretium virtus ingeniosa tulit. 10
 Contigit hoc nullo nisi te sub principe, Caesar :
 cum duo pugnarent, victor uterque fuit.

XXX

Concita veloces fugeret cum damma Molossos
 et varia lentas necteret arte moras,
 Caesaris ante pedes supplex similisque roganti
 constitit, et praedam non tetigere canes. 5
 haec intellecto principe dona tulit.
 Numen habet Caesar : sacra est haec, sacra potestas,
 credite : mentiri non didicere fetae.

XXXI (XXXII)

Da veniam subitis : non displicuisse meretur,
 festinat, Caesar, qui placuisse tibi.

XXXII (XXXI)

Cedere maiori virtutis fama secunda est.
 illa gravis palma est, quam minor hostis habet.

XXXIII

Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit heres !
 paene fuit tanti, non habuisse duos.

XXIX 5 possita . . . palma (H) vel positam . . . palmam (R) A^A :
 corr. Wagner 9 m. utrisque (H : -iusque R) A^A : corr. Scaliger
 11-12 nov. epigr. A^A : corr. Scaliger 11 te sub Scaliger : tibi A^A
 XXX hab. HR Inter XXVII et XXVIII exhibet H
 XXXI-XXXII hab. florilegia quaedam XXXII 1 virtutis edd. :
 uirtuti codd.
 XXXIII ap. Scholiastam in Iuven. Sat. iv. 38. In fine lib. XI^{mi}
 collocat Friedlaender

M. VAL. MARTIALIS
 EPIGRAMMATON

LIBER I

SPERO me secutum in libellis meis tale temperamentum ut
 de illis queri non possit quisquis de se bene senserit, cum
 salva infimarum quoque personarum reverentia ludant ; quae
 adeo antiquis auctoribus defuit ut nominibus non tantum
 veris abusi sint sed et magnis. Mihi fama vilis constet et 5
 probetur in me novissimum ingenium. Absit a iocorum
 nostrorum simplicitate malignus interpretis nec epigrammata
 mea scribat : inprobe facit qui in alieno libro ingeniosus
 est. Lascivam verborum veritatem, id est epigrammaton
 linguam, excussarem, si meum esset exemplum : sic scribit 10
 Catullus, sic Marsus, sic Pedo, sic Gaetulicus, sic quicumque
 perlegitur. Si quis tamen tam ambitiose tristis est ut apud
 illum in nulla pagina latine loqui fas sit, potest epistola vel
 potius titulo contentus esse. Epigrammata illis scribuntur
 qui solent spectare Florales. Non intret Cato theatrum 15
 meum, aut si intraverit, spectet. Videor mihi meo iure
 facturus si epistolam versibus clusero :

Nosses iocosae dulce cum sacrum Florae
 festosque lusus et licentiam volgi,
 cur in theatrum, Cato severe, venisti?
 an ideo tantum veneras, ut exires? 20

Epist. titulum VALERIVS MARTIALIS LECTORI SVO
 SALVTEM exhibet C^A fort. recte 3 infim- ex infirm- ut vid. B^A
 10 scripsit B^A : scribit C^A 13 latina eloqui B^A (pro latinae, i. e.
 -ne, loqui)

I

Hic est quem legis ille, quem requiris,
 toto notus in orbe Martialis
 argutis epigrammaton libellis:
 cui, lector studiose, quod dedisti
 viventi decus atque sentienti, 5
 rari post cineres habent poetae.

II

Qui tecum cupis esse meos ubicumque libellos
 et comites longae quaeris habere viae,
 hos eme, quos artat brevibus membrana tabellis:
 scrinia da magnis, me manus una capit.
 Ne tamen ignores ubi sim venalis et erres 5
 urbe vagus tota, me duce certus eris:
 libertum docti Lucensis quaere Secundum
 limina post Pacis Palladiumque forum.

III

Argiletanas mavis habitare tabernas,
 cum tibi, parve liber, scrinia nostra vacent.
 nescis, heu, nescis dominae fastidia Romae:
 crede mihi, nimium Martia turba sapit.
 maiores nusquam rhonchi: iuvenesque senesque 5
 et pueri nasum rhinocerotis habent.
 audieris cum grande sophos, dum basia iactas,
 ibis ab excusso missus in astra sago.
 sed tu ne totiens domini patiare lituras
 neve notet lusus tristis harundo tuos, 10
 aetherias, lascive, cupis volitare per auras:
 i, fuge; sed poteras tutior esse domi.

I-II om. BA: ante Epist. 18 exhibet CA. Fort. steterant extra ordinem paginarum (cf. IX Epist. 2) in recensione antiquis

III hab. H 5 rhonchi] runt AA (seq. i, pro runci) iuvenesque senesque ABA: iuvenesque senesque (E) vel iuvenisque senisque (XBG) CA 7 aud, tum CA (t pro c) 12 i om. H tutius Q

IV

Contigeris nostros, Caesar, si forte libellos,
 terrarum dominum pone supercilium.
 consuevere iocos vestri quoque ferre triumphi,
 materiam dictis nec pudet esse ducem.
 qua Thymelen spectas derisoremque Latinum, 5
 illa fronte precor carmina nostra legas.
 innocuos censura potest permittere lusus:
 lasciva est nobis pagina, vita proba.

V

Do tibi naumachiam, tu das epigrammata nobis:
 vis, puto, cum libro, Marce, natate tuo.

VI

Aetherias aquila puerum portante per auras
 inlaesum timidus unguibus haesit onus:
 nunc sua Caesareos exorat praeda leones
 tutus et ingenti ludit in ore lepus.
 quae maiora putas miracula? summus utrisque 5
 auctor adest: haec sunt Caesaris, illa Iovis.

VII

Stellae delictum mei columba,
 Verona licet audiente dicam,
 vicit, Maxime, passerem Catulli.
 tanto Stella meus tuo Catullo
 quanto passere maior est columba. 5

VIII

Quod magni Thraseae consummatique Catonis
 dogmata sic sequeris salvos ut esse velis,

IV hab. H 8 proba ACA Ausonius XXVIII (cent. nupt.) 4, 6: proba est BA

V 1 naumachias BA: naumachiam CA

VI 5 utrisque BA: utrique CA

VIII hab. T. 2 saluos (-uus) ABA: talis CA

pectore nec nudo strictos incurris in ensis,
 quod fecisse velim te, Deciane, facis.
 nolo virum facili redemit qui sanguine famam,
 hunc volo, laudari qui sine morte potest. 5

IX

Bellus homo et magnus vis idem, Cotta, videri:
 sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.

X

Petit Gemellus nuptias Maronillae
 et cupit et instat et precatur et donat.
 Adeone pulchra est? Immo foedius nil est.
 Quid ergo in illa petitur et placet? Tussit.

XI

Cum data sint equiti bis quina nomismata, quare
 bis decies solus, Sextiliane, bibis?
 iam defecisset portantis calda ministros,
 si non potares, Sextiliane, merum.

XII

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces
 canaque sulphureis Albula fumat aquis,
 rura nemusque sacrum dilectaque iugera Musis
 signat vicina quartus ab urbe lapis.
 hic rudis aestivas praestabat porticus umbras,
 heu quam paene novum porticus ausa nefas! 5
 nam subito conlapsa ruit, cum mole sub illa
 gestatus biiugis Regulus esset equis.

VIII 5 facili uirum CA IX hab. R
 X hab. T 1 gemellus A^AB^A; gemellus uenustus CA (in lemmate
 DE GEMELLO A^A: DE VENUSTO B^ACA) 4 petitur A^ACA: appetitur BA
 XI hab. T 1 quina A^ACA: bina B^A
 XII hab. T 1 Itur] Intus T herculeas gelidi A^A: herculei
 gelidas B^ACA quam T (pro quâ) 4 uicinas T 5 umbras
 A^ACA: auras BA

nimirum timuit nostras Fortuna querelas,
 quae par tam magnae non erat inuidiae. 10
 Nunc et damna iuant; sunt ipsa pericula tanti:
 stantia non poterant tecta probare deos.

XIII

Casta suo gladium cum traderet Arria Paeto,
 quem de visceribus strinxerat ipsa suis,
 'Si qua fides, vulnus quod feci non dolet,' inquit,
 'sed tu quod facies, hoc mihi, Paete, dolet.'

XIV

Delicias, Caesar, lususque iocosque leonum
 vidimus—hoc etiam praestat harena tibi—
 cum pressus blando totiens a dente rediret
 et per aperta vagus curreret ora lepus.
 Vnde potest avidus captae leo parcere praedae? 5
 sed tamen esse tuus dicitur: ergo potest.

XV

O mihi post nullos, Iuli, memorande sodales,
 si quid longa fides canaque iura valent,
 bis iam paene tibi consul tricensimus instat,
 et numerat paucos vix tua vita dies.
 non bene distuleris videas quae posse negari, 5
 et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.
 exspectant curaeque catenatique labores,
 gaudia non remanent, sed fugitiva volant.
 haec utraque manu complexuque adsere toto:
 saepe fluunt imo sic quoque lapsa sinu. 10
 non est, crede mihi, sapientis dicere 'Vivam':
 sera nimis vita est crastina: vive hodie.

XII 10 par tam] parta B^A (seq. m) 12 deum A^A: deos B^ACA
 XIII hab. T Cum XII confl. B^A 2 strinxerat A^AB^A: trax-
 erat CA 3 fecit B^A 4 quod tu A^ACA: tu quod B^A
 XIV hab. T 2 hoc A^ACA: hos B^A
 XV 1 sodales B^A: sodalis CA 5 quod B^A: quae CA 10
 fluunt B^A (cum XC): fluent CA (cum M)

XVI

Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala plura
quae legis hic: aliter non fit, Avite, liber.

XVII

Cogit me Titus actitare causas
et dicit mihi saepe 'Magna res est.'
Res magna est, Tite, quam facit colonus.

XVIII

Quid te, Tucca, iuvat vetulo miscere Falerno
in Vaticanis condita musta cadis?
quid tantum fecere boni tibi pessima vina?
aut quid fecerunt optima vina mali?
de nobis facile est, scelus est iugulare Falernum 5
et dare Campano toxica saeva mero.
convivae meruere tui fortasse perire:
amphora non meruit tam pretiosa mori.

XIX

Si memini, fuerant tibi quattuor, Aelia, dentes:
expulit una duos tussis et una duos.
iam segura potes totis tussire diebus:
nil istic quod agat tertia tussis habet.

XX

Dic mihi, quis furor est? turba spectante vocata
solus boletos, Caeciliane, voras.
Quid dignum tanto tibi ventre gulaque precabor?
Boletum qualem Claudius edit, edas.

XVI hab. R 2 fit A^AB^A: sit CA (s pro f)
XVIII hab. R 6 saeua (scaeua A^A) mero A^AB^A: uina
cado CA
XX hab. R 1 furor est] furorem R (-em pro e, i. e. est) 3 uen-
tri gulaeque (-leque) B^A

XXI

Cum peteret regem, decepta satellite dextra
ingessit sacris se peritura focis.
sed tam saeva pius miracula non tulit hostis
et raptum flammis iussit abire virum:
urere quam potuit contempto Mucius igne, 5
hanc spectare manum Porsena non potuit.
Maior deceptae fama est et gloria dextrae:
si non errasset, fecerat illa minus.

XXII

Quid nunc saeva fugis placidi lepus ora leonis?
frangere tam parvas non didicere feras.
servantur magnis isti cervicibus ungues
nec gaudet tenui sanguine tanta sitis.
praeda canum lepus est, vastos non implet hiatus: 5
non timeat Dacus Caesaris arma puer.

XXIII

Invitas nullum nisi cum quo, Cotta, lavaris
et dant convivam balnea sola tibi.
mirabar quare numquam me, Cotta, vocasses:
iam scio me nudum displicuisse tibi.

XXIV

Aspicias incomptis illum, Deciane, capillis,
cuius et ipse times triste supercilium,
qui loquitur Curios adsertoresque Camillos?
nolito fronti credere: nupsit heri.

XXV

Ede tuos tandem populo, Faustine, libellos
et cultum docto pectore profer opus,

XXI vv. 1-6 hab. R 7 decepta CA
XXII hab. T 1 nunc] non Dousa ore T
XXIII hab. T XXIV hab. T

M. VAL. MARTIALIS

quod nec Cecropiae damnent Pandionis arces
 nec sileant nostri praetereantque senes.
 ante fores stantem dubitas admittere Famam
 teque piget curae praemia ferre tuae?
 post te victurae per te quoque vivere chartae
 incipiant: cineri gloria sera venit.

XXVI

Sextiliane, bibis quantum subsellia quinque
 solus: aqua totiens ebrius esse potes;
 nec consessorum vicina nomismata tantum,
 aera sed a cuneis ulteriora petis.
 non haec Paelignis agitur vindemia prelis
 uva nec in Tuscis nascitur ista iugis,
 testa sed antiqui felix siccatur Opimi,
 egerit et nigros Massica cella cados.
 A copone tibi faex Laetana petatur,
 si plus quam decies, Sextiliane, bibis.

XXVII

Hesterna tibi nocte dixeramus,
 quincunces puto post decem peractos,
 cenares hodie, Procille, mecum.
 tu factam tibi rem statim putasti
 et non sobria verba subnotasti
 exemplo nimium periculoso:
 μισῶ μνάμονα συμπόταν, Procille.

XXVIII

Hesterno fetere mero qui credit Acerram,
 fallitur: in lucem semper Acerra bibit.

XXV 4 nostris BA
 XXVI 4 petis BA: bibis CA 9 Laetana *Friedlaender ad l. xlix. 22*
 XXVII 2 qui nunc est CA 3, 7 procelle BA: procille CA
 4 factam BA (e pro c) XXVIII hab. R

EPIGRAMMATON LIB. I

XXIX

Fama refert nostros te, Fidentine, libellos
 non aliter populo quam recitare tuos.
 si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam:
 si dici tua vis, hoc eme, ne mea sint.

XXX

Chirurgus fuerat, nunc est vispillo Diaulus.
 coepit quo poterat clinicus esse modo.

XXXI

Hos tibi, Phoebe, vovet totos a vertice crines
 Encolpos, domini centurionis amor,
 grata Pudens meriti tulerit cum praemia pili.
 quam primum longas, Phoebe, recide comas,
 dum nulla teneri sordent lanugine voltus
 dumque decent fusae lactea colla iubae;
 utque tuis longum dominusque puerque fruantur
 muneribus, tonsum fac cito, sero virum.

XXXII

Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare:
 hoc tantum possum dicere, non amo te.

XXXIII

Amissum non flet cum sola est Gellia patrem,
 si quis adest iussae prosiliunt lacrimae.
 non luget quisquis laudari, Gellia, quaerit,
 ille dolet vere qui sine teste dolet.

XXIX hab. T 4 hoc om. T: haec Ital.: en *Schneidewin*
 XXX 2 quo BA: quod CA
 XXXI vv. 1-2 hab. T. XXXI cum XXX confl. BA
 XXXII hab. R
 XXXIII hab. R 1, 3 gallia R (cum VX aliis) 3 luget] licet CA

M. VAL. MARTIALIS

XXXIV

Incustoditis et apertis, Lesbia, semper
 liminibus peccas nec tua furta tegis,
 et plus spectator quam te delectat adulter
 nec sunt grata tibi gaudia si qua latent.
 at meretrix abigit testem veloque seraque
 5 raraq̄ue Submemmi fornice rima patet.
 a Chione saltem vel ab Iade disce pudorem:
 abscondunt spurcas et monumenta lupas.
 numquid dura tibi nimium censura videtur?
 deprendi veto te, Lesbia, non futui.
 10

XXXV

Versus scribere me parum severos
 nec quos praelegat in schola magister,
 Corneli, quereris: sed hi libelli,
 tamquam coniugibus suis mariti,
 non possunt sine mentula placere.
 5 quid si me iubeas thalassionem
 verbis dicere non thalassionis?
 quis Floralia vestit et stolatum
 permittit meretricibus pudorem?
 lex haec carminibus data est iocosis,
 10 ne possint, nisi pruriant, iuvare.
 quare deposita severitate
 parcas lusibus et iocis rogamus,
 nec castrare velis meos libellos.
 Gallo turpius est nihil Priapo.
 15

XXXVI

Si, Lucane, tibi vel si tibi, Tulle, darentur
 qualia Ledaei fata Lacones habent,

XXXIV vv. 1-5, 8-10 hab. T 5 testes PQ 6 Summoeni edd.
 7 ab iade B^A: ab laude C^A (pro lade): Laide Ital. (del. ab) 10
 subigi A^A (pro futui)

XXXV 1 ne C^A 2 ne C^A 8 uescit C^A (c pro t) 11 nec
 possunt B^A: ne possint C^A 15 priapo nihil C^A

EPIGRAMMATON LIB. I

nobilis haec esset pietatis rixa duobus,
 quod pro fratre mori vellet uterque prior,
 diceret infernas et qui prior isset ad umbras: 5
 'vive tuo, frater, tempore, vive meo.'

XXXVII

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro,
 Basse, bibis vitro: carius ergo cacas.

XXXVIII

Quem recitas meus est, o Fidentine, libellus:
 sed male cum recitas, incipit esse tuus.

XXXIX

Si quis erit raros inter numerandus amicos,
 quales prisca fides famaue novit anus,
 si quis Cecropiae madidus Latiaeque Minervae
 artibus et vera simplicitate bonus,
 si quis erit recti custos, mirator honesti 5
 et nihil arcano qui roget ore deos,
 si quis erit magnae subnixus robore mentis:
 dispeream si non hic Decianus erit.

XL

Qui ducis vultus et non legis ista libenter,
 omnibus invideas, livide, nemo tibi.

XLI

Vrbanus tibi, Caecili, videris.
 non es, crede mihi. Quid ergo? verna,
 hoc quod transtiberinus ambulator,

XXXVI 5 si qui B^A: et qui C^A
 XXXVII hab. TR 2 basse A^A: bassa B^AC^A
 XXXVIII hab. R 1 quae citas R
 XXXIX hab. T 3 madius C^A 5 mirator A^AB^A: imitator C^A
 XL hab. R 1 quid R (vix A^A)
 XLI 2 uerna es B^A: uerna C^A

qui pallentia sulphurata fractis
 permutat vitreis, quod otiosae 5
 vendit qui madidum cicer coronae,
 quod custos dominusque viperarum,
 quod viles pueri salariorum,
 quod fumantia qui tomacla raucus
 circumfert tepidis cocus popinis, 10
 quod non optimus urbicus poeta,
 quod de Gadibus improbus magister,
 quod bucca est vetuli dicax cinaedi.
 Quare desine iam tibi videri,
 quod soli tibi, Caecili, videris, 15
 qui Gabbam salibus tuis et ipsum
 posses vincere Tettium Caballum.
 non cuicumque datum est habere nasum :
 ludit qui stolidi procacitate,
 non est Tettius ille, sed caballus. 20

XLII

Coniugis audisset fatum cum Porcia Bruti
 et subtracta sibi quaereret arma dolor,
 'Nondum scitis' ait 'mortem non posse negari?
 credideram fatis hoc docuisse patrem.'
 dixit et ardentis avido bibit ore favillas. 5
 I nunc et ferrum, turba molesta, nega.

XLIII

Bis tibi triceni fuimus, Mancine, vocati
 et positum est nobis nil here praeter aprum,
 non quae de tardis servantur vitibus uvae
 dulcibus aut certant quae melimela favis,

XLI 4-20 (cum XLII-XLVII) om. BA, folio amisso 6 calidum
 Heinsius 11 Urbicus Scriver. 12 cadibus cod. 17 possis
 Scriver. 18 nasu cod.
 XLII hab. T 1 factum T 4 fatis G; satis AACA (s pro f.
 6 i om. T molestia CA XLIII hab. T

non pira quae longa pendent religata genesta 5
 aut imitata brevis Punica grana rosas,
 rustica lactantis nec misit Sassina metas
 nec de Picens venit oliva cadis :
 nudus aper, sed et hic minimus qualisque necari
 a non armato pumilione potest. 10
 et nihil inde datum est ; tantum spectavimus omnes :
 ponere aprum nobis sic et harena solet.
 Ponatur tibi nullus aper post talia facta,
 sed tu ponaris cui Charidemus apro.

XLIV

Lascivos leporum cursus lusisque leonum
 quod maior nobis charta minorque gerit
 et bis idem facimus, nimium si, Stella, videtur
 hoc tibi, bis leporem tu quoque pone mihi.

XLV

Edita ne brevibus pereat mihi cura libellis,
 dicatur potius Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.

XLVI

Cum dicis 'Propero, fac si facis,' Hedyle, languet
 protinus et cessat debilitata Venus.
 expectare iube : velocius ibo retentus.
 Hedyle, si properas, dic mihi, ne properem.

XLVII

Nuper erat medicus, nunc est vispillo Diaulus :
 quod vispillo facit, fecerat et medicus.

6 grana AA : mala CA 7 lactantes AA : lactantes (XV) vel la-
 ctentes (EG) CA sasina AA : fuscina CA (f pro s, u pro a) : fuscina
 Scriver. 10 amato T 11 est ut tantum expectavimus T
 XLV 2 apamibomenon cod. : corr. ed. a. 1473 : ἀπαμειβόμενος ? (in-
 terrogative) Friedlaender XLVI 1, 4 Hedyli Bentley
 XLVII hab. R 1 qui fuerat medicus Paul. Fest. p. 369 M.

M. VAL. MARTIALIS

XLVIII

Rictibus his tauros non eripuerunt magistri,
 per quos praeda fugax itque reditque lepus;
 quodque magis mirum, velocior exit ab hoste
 nec nihil a tanta nobilitate refert.
 tutior in sola non est cum currit harena, 5
 nec cavea tanta conditur ille fide.
 Si vitare canum morsus, lepus inprobe, quaeris,
 ad quae confugas ora leonis habes.

XLIX

Vir Celtiberis non tacende gentibus
 nostraeque laus Hispaniae,
 videbis altam, Liciniane, Bilbilin,
 equis et armis nobilem,
 senemque Caium nivibus, et fractis sacrum 5
 Vadaveronem montibus,
 et delicati dulce Boterdi nemus,
 Pomona quod felix amat.
 tepidi natabis lene Congedi vadum
 mollesque Nympharum lacus, 10
 quibus remissum corpus adstringes brevi
 Salone, qui ferrum gelat.
 praestabit illic ipsa figendas prope
 Voberca prandenti feras.
 aestus serenos aureo franges Tago 15
 obscurus umbris arborum;
 avidam rigens Dercenna placabit sitim
 et Nutha, quae vincit nives.

XLVIII hab. T 3 uelociter L 4 e AA: a BACA 6 caueat
 T: caeae BA (cum E) 7 morsus ACA: morsum BA
 XLIX 5 sterilemque BA: senemque CA Caium Voss. ad Melam
 iii. 1: caluum BA (1 pro j): catum CA (T pro I) et fractis Iunius:
 effractis codd. 7 boleti CA 9 sqq. nov. epigr. in codd. ad
 LIVVM (!): corr. Ital. 9 tepida CA congendi BA 11 ad-
 stringas CA breue BA 14 Voberca (L ut vid.) vel Vobisca (POF)
 BA (-bis pro ó, i. e. ber?); Voberca CA: Vobesca Ital. 17 rigens
 BA: recens CA derceita CA 18 nutha BA: nymeam CA

EPIGRAMMATON LIB. I

at cum December canus et bruma impotens
 Aquilone rauco mugiet, 20
 aprica repetes Tarraconis litora
 tuamque Laletaniam.
 ibi inligatas mollibus dammas plagis
 mactabis et vernas apros
 leporemque forti callidum rumpes equo, 25
 cervos relinques vilico.
 vicina in ipsum silva descendet focum
 infante cinctum sordido;
 vocabitur venator et veniet tibi
 conviva clamatus prope; 30
 lunata nusquam pellis et nusquam toga
 olidaeque vestes murice;
 procul horridus Liburnus et querulus cliens,
 imperia viduarum procul;
 non rumpet altum pallidum somnum reus, 35
 sed mane totum dormies.
 Mereatur alius grande et insanum sophos:
 miserere tu feliciam
 veroque frui non superbus gaudio,
 dum Sura laudatur tuus. 40
 non inpudenter vita quod relicum est petit,
 cum fama quod satis est habet.

L

Sí tibi Mistyllos cocus, Aemiliane, vocatur,
 dicatur quare non Taratalla mihi?

21 repetens BA: repetes CA 22 lacetaniam BA: lal-
 taniam CA: Lacetaniam Friedlaender 23 dammis plagas CA 24
 vernos BA 28 cinctum Ital.: cinctus codd. (i. e. focum; . . .
 cinctus sordido voc. ven.) 29 venabitur uocatus CA 37 sanum
 BA (pro isanum) 42 quem BA (pro quom?)
 L hab. T 2 dicetur P

M. VAL. MARTIALIS

LI

Non facit ad saevos cervix, nisi prima, leones.
 quid fugis hos dentes, ambitiose lepus?
 scilicet a magnis ad te descendere tauris
 et quae non cernunt frangere colla velis.
 desperanda tibi est ingentis gloria fati: 5
 noni potes hoc tenuis praeda sub hoste mori.

LII

Commendo tibi, Quintiane, nostros—
 nostros dicere si tamen libellos
 possum, quos recitat tuus poeta—:
 si de servitio gravi queruntur, 5
 adsertor venias satisque praestes,
 et, cum se dominum vocabit ille,
 dicas esse meos manaque missos.
 hoc si terque quaterque clamitaris,
 inpones plagiaro pudorem.

LIII

Vna est in nostris tua, Fidentine, libellis
 pagina, sed certa domini signata figura,
 quae tua traducit manifesto carmina furto.
 sic interpositus villo contaminat uncto 5
 urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus,
 sic Arretinae violant crystallina testae,
 sic niger in ripis errat cum forte Caystri,
 inter Ledaeos ridetur corvus olores,
 sic ubi multisona fervet sacer Atthide lucus, 10
 improba Cecropias offendit pica querelas.
 indice non opus est nostris nec iudice libris,
 stat contra dicitque tibi tua pagina 'Fur es.'

LI hab. T 2 ambitiosa AA: ambitiose BACA 4 uelis AA:
 uelint BACA, fort. recte 5 facti T LII 2 si t. d. BA
 LIII vv. 1-3, 6-12 hab. T 3 crimina CA 4 interposito BA:
 interpositus CA uillo Hainsius: uillis BA: uitio CA (T pro L. I pro L:
 vill... unco Scriuer. 7 errant AA: errat BACA 9 Atthide] alite T

EPIGRAMMATON LIB. I

LIV

Si quid, Fusce, vacas adhuc amari—
 nam sunt hinc tibi, sunt et hinc amici—
 unum, si superest, locum rogamus,
 nec me, quod tibi sim novus, recuses:
 omnes hoc veteres tui fuerunt. 5
 tu tantum inspice qui novus paratur
 an possit fieri vetus sodalis.

LV

Vota tui breviter si vis cognoscere Marci,
 clarum militiae, Fronte, togaeque decus,
 hoc petit, esse sui nec magni ruris arator,
 sordidaque in parvis otia rebus amat. 5
 quisquam picta colit Spartani frigora saxi
 et matutinum portat ineptus Have,
 cui licet exuviis nemoris rurisque beato
 ante focum plenas explicuisse plagas
 et piscem tremula salientem ducere saeta
 flavaque de rubro promere mella cado? 10
 pinguis inaequales onerat cui vilica mensas
 et sua non emptus praeparat ova cinis?
 non amet hanc vitam quisquis me non amat, opto,
 vivat et urbanis albus in officiis.

LVI

Continuis vexata madet vindemia nimbis:
 non potes, ut cupias, vendere, copo, merum.

LVII

Qualem, Flacce, velim quaeris nolimve puellam?
 nolo nimis facilem difficilemque nimis.

LIV 2 hic tibi CA
 LV 3 petet BA: petit CA 6 auem CA 7 exuti CA beati
 CA 8 explicuisse BA: exposuisse CA 14 urbanus CA
 LVI hab. R LVII hab. R

illud quod medium est atque inter utrumque probamus:
nec volo quod cruciat nec volo quod satiat.

LVIII

Milia pro puero centum me mango poposcit:
risi ego, sed Phoebus protinus illa dedit.
hoc dolet et queritur de me mea mentula secum
laudaturque meam Phoebus in invidiam.
sed sestertiolum donavit mentula Phoebus
bis decies: hoc da tu mihi, pluris emam. 5

LIX

Dat Baiana mihi quadrantes sportula centum.
inter delicias quid facit ista fames?
redde Lupi nobis tenebrosa que balnea Grylli:
tam male cum cenem, cur bene, Flacce, laver?

LX

Intres ampla licet torvi lepus ora leonis,
esse tamen vacuo se leo dente putat.
quod ruet in tergum vel quos procumbet in armos,
alta iuvenorum volnera figet ubi?
quid frustra nemorum dominum regemque fatigas?
non nisi delecta pascitur ille fera. 5

LXI

Verona docti syllabas amat vatis,
Marone felix Mantua est,
censetur Aponi Livio suo tellus
Stellaque nec Flacco minus,
Apollodoro plaudit imbrifer Nilus,
Nasone Paeligni sonant, 5

LVII 3 probamus *A^AB^A*: probatur *C^A* *Anthologia Salmasiana*
4 quod satiet . . . quod cruciet *Anth. Salmas.*
LVIII 3 dolet hoc mea m. mecum *B^A*: de me mea m. secum *C^A*
LIX *hab. T* 1 baiona *T* quadrante *C^A* 3 rete *T*
luci *C^A* 4 lauer *A^A* (-es *T*): lauer (-bor) *B^AC^A*
LX 5 dominum nemorum *B^A*: nemorum dominum *C^A*
LXI 1 doctis s. mamat *B^A* 3 aponi *B^A*: apono *C^A*: Apona
Ital. 5 plaudit *B^A*: gaudet *C^A*

duosque Senecas unicumque Lucanum
facunda loquitur Corduba,
gaudent iocosae Canio suo Gades,
Emerita Deciano meo: 10
te, Liciniane, gloriabitur nostra
nec me tacebit Bilbilis.

LXII

Casta nec antiquis cedens Laevina Sabinis
et quamvis tetrico tristior ipsa viro
dum modo Lucrino, modo se permittit Averno,
et dum Baianis saepe fovetur aquis,
incidit in flammis: iuvenemque secuta relicto
coniuge Penelope venit, abt Helene. 5

LXIII

Vt recitem tibi nostra rogas epigrammata. Nolo.
non audire, Celer, sed recitare cupis.

LXIV

Bella es, novimus, et puella, verum est,
et dives, quis enim potest negare?
sed cum te nimium, Fabulla, laudas,
nec dives neque bella nec puella es.

LXV

Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba
et dici ficos, Caeciliane, iubes.
dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci,
dicemus ficos, Caeciliane, tuos.

LXII *hab. T* 6 ueniet *C^A* ut vid.
LXIII *hab. R* 1 nostra rogas] nostras *R*
LXIV *hab. T* 3 cum *A^AC^A*: dum *B^A*
LXV *hab. R* 3 dicemus *A^AB^AC^A*, *cod. Charis. p. 95 K, codd. Prisc. I p. 261 K, et p. 267 K*: dicamus *codd. Probi p. 21 K* ficus *B^AC^A* ut vid. (sed ficos *E*), *cod. Charis., codd. Prisc.*: ficos *A^A* *Probus* 4 dicemus *A^AB^AC^A*, *codd. Probi., codd. Prisc. p. 261 K*: dicamus *cod. Charis.* ficos *A^AB^A* ut vid. *C^A* ut vid. (sed ficus *XG*), *cod. Charis.*: ficus *codd. Probi., codd. Prisc. p. 261 K*

LXVI

Erras, meorum fur avare librorum,
 fieri poetam posse qui putas tanti,
 scriptura quanti constet et tomus vilis :
 non sex paratur aut decem sophos nummis.
 secreta quaere carmina et rudes curas
 5 quas novit unus scrinioque signatas
 custodit ipse virginis pater chartae,
 quae trita duro non inhorruit mento.
 mutare dominum non potest liber notus.
 10 sed pumicata fronte si quis est nondum
 nec umbilicis cultus atque membrana,
 mercare : tales habeo ; nec sciet quisquam.
 aliena quisquis recitat et petit famam,
 non emere librum, sed silentium debet.

LXVII

'Liber homo es nimium,' dicis mihi, Ceryle, semper.
 In te qui dicit, Ceryle, liber homo est.

LXVIII

Quidquid agit Rufus, nihil est nisi Naevia Rufo.
 si gaudet, si flet, si tacet, hanc loquitur.
 cenat, propinat, poscit, negat, innuit : una est
 Naevia ; si non sit Naevia, mutus erit.
 scriberet hesterna patri cum luce salutem,
 5 'Naevia lux' inquit 'Naevia lumen, have.'
 Haec legit et ridet demisso Naevia voltu.
 Naevia non una est : quid, vir inepte, furis ?

LXVI 3 constet BA : constat CA 4 nummis sophos BA 5
 querere BA 7 pater chartae] partae CA (non A) 8 duo CA
 horruit CA 10 pumicata BA 11 umbilicus CA
 LXVII hab. T 1 dicis] disci CA (non A) 1, 2 caerule (cer-)
 AABA : ceryle (-ile) CA 2 qui degit CA es CA, unde in te
 quis dicit, Ceryle, 'liber homo es' ? Ed. Wagner : fort. interrogative
 l. h. est ?, i. e. impudensne debet vocari ?
 LXVIII hab. T 1 nisi om. T 5 scripserat AA : scriberet
 BACA 8 una] uana T.

LXIX

Coepit, Maxime, Pana quae solebat,
 nunc ostendere Canium Tarentos.

LXX

Vade salutatum pro me, liber : ire iuberis
 ad Proculi nitidos, officiose, lares.
 Quaeris iter, dicam. Vicinum Castora canae
 transibis Vestae virgineamque domum ;
 inde sacro veneranda petes Palatia clivo,
 5 plurima qua summi fulget imago ducis.
 nec te detineat miri radiata colossi
 quae Rhodium moles vincere gaudet opus.
 flecte vias hac qua madidi sunt tecta Lyaei
 et Cybeles picto stat Corybante tholus.
 10 protinus a laeva clari tibi fronte Penates
 atriaque excelsae sunt adeunda domus.
 hanc pete : ne metuas fastus limenque superbum :
 nulla magis toto ianua poste patet,
 nec propior quam Phoebus amet doctaeque sorores.
 15 si dicet 'Quare non tamen ipse venit ?'
 sic licet excusses 'Quia qualiacumque leguntur
 ista, salutator scribere non potuit.'

LXXI

Laevia sex cyathis, septem Iustina bibatur,
 quinque Lycas, Lyde quattuor, Ida tribus.
 omnis ab infuso numeretur amica Falerno,
 et quia nulla venit, tu mihi, Somne, veni.

LXIX 1 maxima BA
 LXX vv. 1-16 hab. T, vv. 1-2 R 1 procul BA 4 uestas CA
 5 uenerando CA palatio CA ut vid. (-o EX, -a ABC) 7 miro BA
 coloris T 9 haec T 10 torus AA : tholus BACA 13 ne
 AABA : nec CA lumenque T 15 potior AA : propior CA
 quam om. T amat BA 17 sic BA : si CA ut vid.
 LXXI 1 quathis CA (pro quiathis, i. e. cyathis) 2 lycis BA :
 lycas CA 3 effuso BA : infuso CA

LXXII

Nostris versibus esse te poetam,
Fidentine, putas cupisque credi?
sic dentata sibi videtur Aegle
emptis ossibus Indicoque cornu;
sic quae nigrior est cadente moro,
cerussata sibi placet Lycoris.
hac et tu ratione qua poeta es,
calvus cum fueris, eris comatus.

5

LXXIII

Nullus in urbe fuit tota qui tangere vellet
uxorem gratis, Caeciliane, tuam,
dum licuit: sed nunc positis custodibus ingens
turba futurorum est: ingeniosus homo es.

LXXIV

Moechus erat: poteras tamen hoc tu, Paula, negare.
ecce vir est: numquid, Paula, negare potes?

LXXV

Dimidium donare Lino quam credere totum
qui mavolt, mavolt perdere dimidium.

LXXVI

O mihi curarum pretium non vile mearum,
Flacce, Antenorei spes et alumne laris,
Pierios differ cantus citharamque sororum;
aes dabit ex istis nulla puella tibi.
quid petis a Phoebos? nummos habet arca Minervae;
haec sapit, haec omnes fenerat una deos.

LXXII 3 sibi *B^A*: tibi *C^A*
LXXIII hab. *T* 2 meciliane *A^A*: caeciliane (cec.) *B^AC^A*
4 salitorum *A^A* (pro futurorum): futurorum *C^A* es] est *T* (et fort. *A^A*)
LXXIV hab. *T* LXXV hab. *T*
LXXVI 3 cantusque chorosque (-rusque) *B^A*: cantus citharamque *C^A*

quid possunt hederæ Bacchi dare? Pallados arbor
inclinat varias pondere nigra comas.
praeter aquas Helicon et sarta lyrasque dearum
nil habet et magnum, sed perinane sophos. 10
quid tibi cum Cirrha? quid cum Permesside nuda?
Romanum propius divitiusque forum est.
illic aera sonant: at circum pulpita nostra
et steriles cathedras basia sola crepant.

LXXVII

Pulchre valet Charinus et tamen pallet.
parce bibit Charinus et tamen pallet.
bene concoquit Charinus et tamen pallet.
sole utitur Charinus et tamen pallet.
tingit cutem Charinus et tamen pallet. 5
cunnum Charinus lingit et tamen pallet.

LXXVIII

Indignas premeret pestis cum tabida fauces
inque ipsos vultus serperet atra lues,
siccis ipse genis flentes hortatus amicos
decrevit Stygios Festus adire lacus.
nec tamen obscuro pia polluit ora veneno 5
aut torsit lenta tristia fata fame,
sanctam Romana vitam sed morte peregit
dimisitque animam nobiliore rogo.
Hanc mortem fatis magni praeferre Catonis
fama potest: huius Caesar amicus erat. 10

LXXVI 8 uarios *B^A*: uario *Schmieder* 9 Hel.] licon *C^A* deo-
rum *C^A* 10 semper inane *B^A*: sed perinane *C^A* 11 permesside
nuda *B^A*: permessidis unda *C^A*: parnaside nuda *Q* 12 proprius
(pius *E*) diuitiumque *C^A* 13 ad *codd.*
LXXVII hab. *T* 6 lingua nefas carinus *A^A* (pro cunnum
Charinus lingit)
LXXVIII 2 ipsos] suos *P* 6 famem *C^A* 7 sancta (scā) romana *B^A*:
sanctam romanam *C^A* 8 rogo *B^A*: uita *C^A* (cf. v. 7), unde uita *Ital.*

LXXXIX

Semper agis causas et res agis, Attale, semper:
est, non est quod agas, Attale, semper agis.
si res et causae desunt, agis, Attale, mulas.
Attale, ne quod agas desit, agas animam.

LXXX

Sportula, Cane, tibi suprema nocte petita est.
occidit puto te, Cane, quod una fuit.

LXXXI

A servo scis te genitum blandeque fateris,
cum dicis dominum, Sosibiane, patrem.

LXXXII

Haec quae pulvere dissipata multo
longas porticus explicat ruinas,
en quanto iacet absoluta casu!
tectis nam modo Regulus sub illis
gestatus fuerat recesseratque, 5
victa est pondere cum suo repente,
et postquam domino nihil timebat,
seculo ruit incruenta damno.
Tantae, Regule, post metum querelae
quis curam neget esse te deorum, 10
propter quem fuit innocens ruina?

LXXXIII

Os et labra tibi lingit, Manneia, catellus:
non miror, merdas si libet esse cani.

LXXXIX *hab. R* LXXX *hab. T* LXXXI *hab. T*
LXXXII 3 *en quanto B^A: in tanto C^A* 8 *ruit B^A: cecidit C^A*
(*gloss. in ruit*)
LXXXIII *hab. T* 1 *mancia T (et fort. A^A): mannella B^A: manneia C^A*

LXXXIV

Vxorem habendam non putat Quirinalis,
cum velit habere filios, et invenit
quo possit istud more: futuit ancillas
domumque et agros implet equitibus vernis.
Pater familiae verus est Quirinalis. 5

LXXXV

Venderet excultos colles cum praeco facetus
atque suburbani iugera pulchra soli,
'Errat' ait 'si quis Mario putat esse necesse
vendere: nil debet, fenerat immo magis.'
'Quae ratio est igitur?' 'Servos ibi perdidit omnes 5
et pecus et fructus, non amat inde locum.'
Quis faceret pretium nisi qui sua perdere vellet
omnia? Sic Mario noxius haeret ager.

LXXXVI

Vicinus meus est manque tangi
de nostris Novius potest fenestris.
quis non invideat mihi putetque
horis omnibus esse me beatum,
iuncto cui liceat frui sodale? 5
Tam longe est mihi quam Terentianus,
qui nunc Niliacam regit Syenen.
non convivere, nec videre saltem,
non audire licet, nec urbe tota
quisquam est tam prope tam proculque nobis. 10
Migrandum est mihi longius vel illi
vicinus Novio vel inquilinus
sit, si quis Novium videre non volt.

LXXXIV 5-LXXXV 4 *om. C^A nullo intervallo relicto*
LXXXVI *hab. T* 5 *frui] frigi T* 7 *Nil.] iliacam B^A: miliacam*
C^A 8 nec u. A^AC^A: non u. B^A 12 vel] ut B^A (pro vel)

M. VAL. MARTIALIS

LXXXVII

Ne gravis hesterno fragres, Fescennia, vino,
 pastillos Cosmi luxuriosa voras.
 ista linunt dentes iantacula, sed nihil opstant,
 extremo ructus cum redit a barathro.
 quid quod olet gravius mixtum diapasmate virus 5
 atque duplex animae longius exit odor?
 notas ergo nimis fraudes deprensaeque furta
 iam tollas et sis ebria simpliciter.

LXXXVIII

Alcime, quem raptum domino crescentibus annis
 Lavicana levi caespite velat humus,
 accipe non Pario nutantia pondera saxo,
 quae cineri vanus dat ruitura labor, 5
 sed faciles buxos et opacas palmitis umbras
 quaeque virent lacrimis roscida prata meis
 accipe, care puer, nostri monumenta doloris:
 hic tibi perpetuo tempore vivet honor.
 cum mihi supremos Lachesis perneverit annos,
 non aliter cineres mando iacere meos. 10

LXXXIX

Garris in aurem semper omnibus, Cinna,
 garrire et illud teste quod licet turba.
 rides in aurem, quereris, arguis, ploras,
 cantas in aurem, iudicas, taces, clamas,
 adeoque penitus sedit hic tibi morbus, 5
 ut saepe in aurem, Cinna, Caesarem laudes.

LXXXVII hab. T 3 iactacula CA obstent AA: obstat BACA
 (obstant C) 4 redit AABA: uenit CA 8 tolles BA
 LXXXVIII hab. T 3 accipe AACA: aspice BA Pario]
 paruo T 4 post v. 7 CA (in archetypi marg. steterat. Simile
 initium vv. 3, 7 accipe causa transpositionis) 5 faciles AACA:
 fragiles BA bux' (i. e. buxus?) ut vid. CA 7 accipe care] acum
 peccore T 8 uiuit AA: uiuet BACA 9 supremus La. peruenerit
 annus AA

LXXXIX 2 garris Ital. 5 adeoque BA: adeone CA

EPIGRAMMATON LIB. I

XC

Quod numquam maribus iunctam te, Bassa, videbam
 quodque tibi moechum fabula nulla dabat,
 omne sed officium circa te semper obibat
 turba tui sexus, non adeunte viro,
 esse videbaris, fateor, Lucretia nobis: 5
 at tu, pro facinus, Bassa, fututor eras.
 inter se geminos audes committere cunnos
 mentiturque virum prodigiosa Venus.
 commenta es dignum Thebano aenigmate monstrum,
 hic ubi vir non est, ut sit adulterium. 10

XCI

Cum tua non edas, carpis mea carmina, Laeli.
 carpere vel noli nostra vel ede tua.

XCII

Saepe mihi queritur non siccis Cestos ocellis,
 tangi se digito, Mamuriane, tuo.
 non opus est digito: totum tibi Ceston habeto,
 si dest nil aliud, Mamuriane, tibi.
 sed si nec focus est nudi nec sponda grabati 5
 nec curtus Chiones Antiopesve calix,
 cerea si pendet lumbis et scripta lacerna
 dimidiasque nates Gallica paeda tegit,
 pasceris et nigrae solo nidore culinae
 et bibis inmundam cum cane pronus aquam: 10
 non culum, neque enim est culus, qui non cacat olim,
 sed fodiam digito qui superest oculum:
 nec me zelotypum nec dixeris esse malignum.
 denique pedica, Mamuriane, satur.

XC hab. T 1 cunctam T, unde cinctam Scriver. 3 omnis
 et BA (pro omnes et, i. e. omne set) 5 fateor om. T 6 adulter
 AA (pro fututor) 7 se om. T turpes AA (pro cunnos) 9 est CA
 XCI hab. R XCII hab. T 2 tangisse T 3 tantum T
 5 nec nudi AA: nudi nec BACA 6 -ve AABA: -que CA 8 praeda
 AA: peda BA: palla CA: braca Heinsius 11 culus] cuius T
 11-12 non c. n. . . digito AABA: non c. digito, neque enim est qui
 non c. o. culus sed f. CA 13 non me AA: nec me BACA

XCIII

Fabricio iunctus fido requiescit Aquinus,
 qui prior Elysias gaudet adisse domos.
 ara duplex primi testatur munera pili:
 plus tamen est, titulo quod brevior legis:
 'Iunctus uterque sacro laudatae foedere vitae,
 famaue quod raro novit, amicus erat.'

5

XCIV

Cantasti male, dum fututa es, Aegle.
 iam cantas bene; basianda non es.

XCV

Quod clamas semper, quod agentibus obstrepis, Aeli,
 non facis hoc gratis: accipis, ut taceas.

XCVI

Si non molestum est teque non piget, scazon,
 nostro rogamus pauca verba Materno
 dicas in aurem sic ut audiat solus.
 Amator ille tristium lacernarum
 et baeticatus atque leucophaeatus,
 qui coccinatos non putat viros esse
 amethystinasque mulierum vocat vestes,
 nativa laudet, habeat et licet semper
 fuscus colores, galbinos habet mores.
 Rogabit unde suspicer virum mollem.
 Vna lavamur: aspicit nihil sursum,
 sed spectat oculis devorantibus draucos
 nec otiosis mentulas videt labris.
 Quaeris quis hic sit? Excidit mihi nomen.

5

10

XCIII r Aquinus] amicus BA (sed in *lemmate* DE TVMVLO AQVINI, etc.)
 2 abisse BA: adisse CA 4 pl. t. est BA: inscriptum CA (i est X)
 (gloss. ut vid.) legis BA: leges CA 5 functus BA ut vid.
 6 q. raros BA, unde quos raros Rooy XCV hab. T
 XCVI r est molestum te quod BA 2 u. mamaterno BA

XCVII

Cum clamant omnes, loqueris tunc, Naevole, tantum,
 et te patronum causidicumque putas.
 hac ratione potest nemo non esse disertus.
 Ecce, tacent omnes: Naevole, dic aliquid.

XCVIII

Litigat et podagra Diodorus, Flacce, laborat.
 sed nil patrono porrigit: haec cheragra est.

XCIX

Non plenum modo vicies habebas,
 sed tam prodigus atque liberalis
 et tam lautus eras, Calene, ut omnes
 optarent tibi centies amici.
 Audit vota deus precesque nostras
 atque intra, puto, septimas Kalendas
 mortes hoc tibi quattuor dederunt.
 at tu sic quasi non foret relictum,
 sed raptum tibi centies, abisti
 in tantam miser esuritionem,
 ut convivia sumptuosiora,
 toto quae semel apparas in anno,
 nigrae sordibus explices monetae,
 et septem veteres tui sodales
 constemus tibi plumbea selibra.
 Quid dignum meritis precemur istis?
 optamus tibi milies, Calene.
 hoc si contigerit, fame peribis.

5

10

15

C

Mammas atque tatas habet Afra, sed ipsa tatarum
 dici et mammarum maxima mamma potest.

XCVII hab. T 1 t. N.] tu gneuule BA (sed in *lemm.* AD
 NEVOLVM . . .) 4 gneuule BA
 XCIX hab. T 7 mort (sic) est qu. (om. hoc tibi) T 12
 appares T 17 optamus ACA: optemus BA C hab. T

CI

Illa manus quondam studiorum fida meorum
 et felix domino notaque Caesaribus,
 destituit primos viridis Demetrius annos :
 quarta tribus lustris addita messis erat.
 nè tamen ad Stygias famulus descenderet umbras, 5
 ureret inplicitum cum scelerata lues,
 cavimus et domini ius omne remisimus aegro :
 munere dignus erat convaluisse meo.
 sensit deficiens sua praemia meque patronum
 dixit ad infernas liber iturus aquas. 10

CII

Qui pinxit Venerem tuam, Lycori,
 blanditus, puto, pictor est Minervae.

CIII

' Si dederint superi decies mihi milia centum '
 dicebas nondum, Scaevola, iustus eques,
 ' qualiter o vivam, quam large quamque beate ! '
 Riserunt faciles et tribuere dei.
 sordidior multo post hoc toga, paenula peior, 5
 calceus est sarta terque quaterque cute :
 deque decem plures semper servantur olivae,
 explicat et cenas unica mensa duas,
 et Veientani bibitur faex crassa rubelli,
 asse cicer tepidum constat et asse Venus. 10
 In ius, o fallax atque infitiator, eamus :
 aut vive aut decies, Scaevola, redde deis.

CIV

Picto quod iuga delicata collo
 pardus sustinet improbaeque tigres

CI 3 viridis] uiridesque CA 7 aegro] ergo BA
 CIII 4 Aiserunt CA (Miserunt A²) 6 et Heinsius terque
 quaterque BA : bisque quaterque CA 7 tibi nunc BA : semper CA
 10 citer CA 11 in ius o Ital. : illuso (pro inl.) BA : iniusto CA

indulgent patientiam flagello,
 mordent aurea quod lupata cervi,
 quod frenis Libyci domantur ursi 5
 et, quantum Calydon tulisse fertur,
 paret purpureis aper capistris,
 turpes esseda quod trahunt visontes
 et molles dare iussa quod choreas
 nigro belua non negat magistro : 10
 quis spectacula non putet deorum ?
 Haec transit tamen, ut minora, quisquis
 venatus humiles videt leonum,
 quos velox leporum timor fatigat.
 dimittunt, repetunt, amantque captos, 15
 et securior est in ore praeda,
 laxos cui dare perviosque rictus
 gaudent et timidos tenere dentes,
 mollem frangere dum pudet rapinam,
 stratis cum modo venerint iuencis. 20
 Haec clementia non paratur arte,
 sed norunt cui serviant leones.

CV

In Nomentanis, Ovidi, quod nascitur agris,
 accepti quotiens tempora longa, merum
 exuit annosa mores nomenque senecta :
 et quidquid voluit, testa vocatur anus.

CVI

Interponis aquam subinde, Rufe,
 et si cogeris a sodale, raram
 diluti bibis unciam Falerni.

CIV 5 freno BA : frenis CA 10 non BA : nihil (i. e. nil) CA
 11 qui CA ut vid. 20 uenerit BA : uenerint CA
 CV 1 agris BA : aruis CA CVI 3 dilutibilis CA

numquid pollicita est tibi beatam
noctem Naevia sobriasque mavis 5
certae nequitas fututionis?
suspiras, retices, gemis: negavit.
crebros ergo licet bibas trientes
et durum iugules mero dolorem.
quid parcis tibi, Rufe? dormiendum est. 10

CVII

Saepe mihi dicis, Luci carissime Iuli,
'Scribe aliquid magnum: desidiosus homo es.'
Otia da nobis, sed qualia fecerat olim
Maecenas Flacco Vergilioque suo:
condere victuras temptem per saecula curas 5
et nomen flammis eripuisse meum.
in steriles nolunt campos iuga ferre iuveni:
pingue solum lassat, sed iuvat ipse labor.

CVIII

Est tibi—sitque precor multos crescatque per annos—
pulchra quidem, verum transtiberina domus:
at mea Vipsanas spectant cenacula laurus,
factus in hac ego sum iam regione senex.
migrandum est, ut mane domi te, Galle, salutem: 5
est tanti, vel si longius illa foret.
sed tibi non multum est, unum si praesto togatum:
multum est, hunc unum si mihi, Galle, nego.
ipse salutabo decuma te saepius hora:
mane tibi pro me dicet havere liber. 10

CVI 4 es *CA* 7 negabit (*i.e.* -vit) *CA* 8 bibas licet *BA*: licet
bibas *CA* 9 pudorem *BA*: dolorem *CA*
CVII hab. *T* 1 clarissime *P* 7 nolunt campos *AABA*
Fris.: campos nolunt *CA*
CVIII 3 Vipsanas *Rooy* 6 es *X* 9 uel serius *BA* (*cf.* III
xxvii, 5): te saepius *CA* 10 auere *corr.* aucte *ut vid.* *CA* (aucto *CG*)

CIX

Issa est passere nequior Catulli,
Issa est purior osculo columbae,
Issa est blandior omnibus puellis,
Issa est carior Indicis lapillis, 5
Issa est deliciae catella Publi.
hanc tu, si queritur, loqui putabis;
sentit tristitiamque gaudiumque.
collo nixa cubat capitque somnos,
ut suspiria nulla sentiantur;
et desiderio coacta ventris 10
gutta pallia non fefellit ulla,
sed blando pede suscitatur toroque
deponi monet et rogat levare.
castae tantus inest pudor catellae,
ignorat Venerem; nec invenimus 15
dignum tam tenera virum puella.
Hanc ne lux rapiat suprema totam,
picta Publius exprimit tabella,
in qua tam similem videbis Issam,
ut sit tam similis sibi nec ipsa. 20
Issam denique pone cum tabella:
aut utramque putabis esse veram,
aut utramque putabis esse pictam.

CX

Scribere me quereris, Velox, epigrammata longa.
ipse nihil scribis: tu breviora facis.

CXI

Cum tibi sit sophiae par fama et cura deorum,
ingenio pietas nec minor ipsa suo:

CIX 4 capillis *CA* 8 colla *BA* nexa *CA* 13 monet et
rogat l. *BA* (*cum M*): rogat et monet eleuari *CA* 15-16 om. *CA*
CX hab. *T*
CXI *cum CX* *conf.* *BA*: post CXII colloc. *CA* 1 deorum *BA*:
laborum *CA* 2 tuo *Ital.*

ignorat meritis dare munera, qui tibi librum 3
et qui miratur, Regule, tura dari.

CXII

Cum te non nossem, dominum regemque vocabam:
nunc bene te novi: iam mihi Priscus eris.

CXIII

Quaecumque lusi iuvenis et puer quondam
apinasque nostras, quas nec ipse iam novi,
male conlocare si bonas voles horas
et invidere otio tuo, lector,
a Valeriano Pollio petes Quinto, 5
per quem perire non licet meis nugis.

CXIV

Hos tibi vicinos, Faustine, Telesphorus hortos.
Faenius et breve rus udaeque prata tenet.
condidit hic natae cineres nomenque sacravit
quod legis Antullae, dignior ipse legi.
ad Stygias aequum fuerat pater isset ut umbras: 5
quod quia non licuit, vivat, ut ossa colat.

CXV

Quaedam me cupit,—invide, Procille!—
loto candidior puella cycno,
argento, nive, lilio, ligustro:
sed quandam volo nocte nigriorem,
formica, pice, graculo, cicada. 5
Iam suspendia saeva cogitabas:
si novi bene te, Procille, vives.

CXI 3 quid BA (pro quit; seq. t) 4 iura CA
CXII hab. R 2 nunc] dum CA
CXIII 1 quondam puer BA 5 Pollio] lopolio BA 6 nugis
om. CA
CXIV 5 et Stygias, sed dum fuerat (pro-ras?) pater ire sub umbras
BA: ad Stygias aequum fuerat pater isset ut umbras CA 6 uiuit Ital.
CXV hab. T 2 loto] toto BACA (T pro L) 4 sed om. T
quendam AA: quandam BACA 7 uiuis CA

CXVI

Hoc nemus aeterno cinerum sacravit honori
Faenius et culti iugera pulchra soli.
hoc tegitur cito rapta suis Antulla sepulchro,
hoc erit Antullae mixtus uterque parens.
si cupit hunc aliquis, moneo, ne speret agellum: 5
perpetuo dominis serviet iste suis.

CXVII

Occurris quotiens, Luperce, nobis,
'Vis mittam puerum' subinde dicis,
'cui tradas epigrammaton libellum,
lectum quem tibi protinus remittam?'
Non est quod puerum, Luperce, vexes. 5
longum est, si velit ad Pirum venire,
et scalis habito tribus sed altis.
quod quaeris propius petas licebit.
Argi nempe soles subire Letum:
contra Caesaris est forum taberna 10
scriptis postibus hinc et inde totis,
omnis ut cito perlegas poetas.
illinc me pete. Nec roges Atrectum—
hoc nomen dominus gerit tabernae—:
de primo dabit alterove nido 15
rasum pumice purpuraque cultum
denaris tibi quinque Martialem.
'Tanti non es' ais? Sapis, Luperce.

CXVIII

Cui legisse satis non est epigrammata centum,
nil illi satis est, Caediciane, mali.

CXVI hab. T 1 aeternum AA cinerem BA honore CA 2 pulchra
AACA: pauca BA 3 suis om. T 5 mones peret T 6 suus CA
CXVII occurrit BA 6 uelis CA 8 petas propius CA 13
petes CA arrectum (pro adrectum vel atr-) CA 15 nido nomen
nido
BA (pro nomen, i. e. nomen corr. nido)
CXVIII hab. T 2 deciliane BA

M. VAL. MARTIALIS

LXXXVII

Infantem secum semper tua Bassa, Fabulle,
conlocat et lusus deliciasque vocat,
et, quo mireris magis, infantaria non est.
Ergo quid in causa est? Pedere Bassa solet.

LXXXVIII

Nulla remisisti parvo pro munere dona,
et iam Saturni quinque fuere dies.
ergo nec argenti sex scripula Septiciani
missa nec a querulo mappa cliente fuit,
Antipolitani nec quae de sanguine thynni 5
testa rubet, nec quae cottana parva gerit,
nec rugosarum vimen breve Picenarum,
dicere te posses ut meminisse mei?
decipies alios verbis voltuque benigno,
nam mihi iam notus dissimulator eris. 10

LXXXIX

Ohe, iam satis est, ohe, libelle,
iam pervenimus usque ad umbilicos.
tu procedere adhuc et ire quaeris,
nec summa potes in schida teneri, 5
sic tamquam tibi res peracta non sit,
quae prima quoque pagina peracta est.
iam lector queriturque deficitque,
iam librarius hoc et ipse dicit
'Ohe, iam satis est, ohe, libelle.'

LXXXVII hab. T 1 catulle A^A (sed in lemm. AD FABVLLVM)
2 uocat A^ACA: facit B^A 3 quo A^A: quod B^ACA
LXXXVIII vv. 1-2, 7-10 hab. T; vv. 9-10 R 3 vel Septitiani
5 Antipolitano B^A 8 possis T
LXXXIX 6 peracta est B^A: notatur C^A 7 deficitque B^A

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATON

LIBER V

I

Hoc tibi, Palladiae seu collibus uteris Albae,
Caesar, et hinc Triviam prospicis, inde Thetin,
seu tua veridicae discunt responsa sorores,
plana suburbani qua cubat unda freti,
seu placet Aeneae nutrix seu filia Solis 5
sive salutiferis candidus Anxur aquis,
mittimus, o rerum felix tutela salusque,
sospite quo gratum credimus esse Iovem.
tu tantum accipias: ego te legisse putabo
et tumidus Galla credulitate fruar. 10

II

Matronae puerique virginesque,
vobis pagina nostra dedicatur.
tu, quem nequitiae procaciores
delectant nimium salesque nudi,
lascivos lege quattuor libellos: 5
quintus cum domino liber iocatur;
quem Germanicus ore non rubenti
coram Cecropia legat puella.

I hab. T; vv. 7-8 hab. R 1 haec A^A: hoc B^ACA pallidiae
(-ie) A^A B^A 2 thitim C^A 4 plena T 8 quaerimus C^A
II 6 iocatur Ital.: iocetur B^A: uocatur C^A (pro ioc-) 8 cecropiam C^A

III

Accola iam nostrae Degis, Germanice, ripae,
 a famulis Histri qui tibi venit aquis,
 laetus et attonitus viso modo praeside mundi,
 adfatus comites dicitur esse suos:
 'Sors mea quam fratris melior, cui tam prope fas est 5
 cernere, tam longe quem colit ille deum.'

IV

Fetere multo Myrtale solet vino,
 sed fallat ut nos, folia devorat lauri
 merumque cauta fronde, non aqua miscet.
 Hanc tu rubentem prominentibus venis
 quotiens venire, Paule, videris contra, 5
 dicas licebit 'Myrtale bibit laurum.'

V

Sexte, Palatinae cultor facunde Minervae,
 ingenio frueris qui propiore dei—
 nam tibi nascentes domini cognoscere curas
 et secreta ducis pectora nosse licet—:
 sit locus et nostris aliqua tibi parte libellis, 5
 qua Pedito, qua Marsus quaque Catullus erit.
 ad Capitolini caelestia carmina belli
 grande cothurnati pone Maronis opus.

VI

Si non est grave nec nimis molestum,
 Musae, Parthenium rogate vestrum:
 sic te serior et beata quondam
 salvo Caesare finiat senectus
 et sis invidia favente felix, 5
 sic Burrus cito sentiat parentem:

III 1 Diegis (?) Gilbert (disyllab.) 6 quem] quam BA
 IV 1 myrtale BA: tuccius CA (sed v. 6 myrtale)
 V 2 fueris ut vid. BA 5 locus] solus CA 7 ad om. CA
 VI 5 fatente Heinsius

admittas timidam brevemque chartam
 intra limina sanctioris aulae.
 nosti tempora tu Iovis sereni,
 cum fulget placido suoque vultu, 10
 quo nil supplicibus solet negare.
 non est quod metuas preces iniquas:
 numquam grandia nec molesta poscit
 quae cedro decorata purpuraque
 nigris pagina crevit umbilicis. 15
 nec porrexeris ista, sed teneto
 sic tamquam nihil offeras agasque.
 Si novi dominum novem sororum,
 ultro purpureum petet libellum.

VII

Qualiter Assyrios renovant incendia nidos,
 una decem quotiens saecula vixit avis,
 taliter exuta est veterem nova Roma senectam
 et sumpsit vultus praesidis ipsa sui.
 iam precor oblitus notae, Vulcane, querelae 5
 parce: sumus Martis turba sed et Veneris:
 parce, pater: sic Lemniacis lasciva catenis
 ignoscat coniunx et patienter amet.

VIII

Edictum domini deique nostri,
 quo subsellia certiora fiunt
 et puros eques ordines recepit,
 dum laudat modo Phasis in theatro,
 Phasis purpureis ruber lacernis, 5
 et iactat tumido superbus ore:
 'Tandem commodius licet sedere,

VI 8 acui CA (pro aule, pro aule), unde intra lumina s. aevi Munro
 10 placido BA: placidus CA
 VII vv. 1-4 hab. TR 5 notae BA: nostrae CA 8 ames CA
 VIII 3 recipit BA 5 rubens BA: ruber CA
 MART. EP.

nunc est reddita dignitas equestris ;
 turba non premimur, nec inquinamur' :
 haec et talia dum refert supinus, 10
 illas purpureas et adrogantes
 iussit surgere Leitus lacernas.

IX

Languebam : sed tu comitatus protinus ad me
 venisti centum, Symmache, discipulis.
 centum me tetigere manus aquilone gelatae :
 non habui febrem, Symmache, nunc habeo.

X

'Esse quid hoc dicam vivis quod fama negatur
 et sua quod rarus tempora lector amat?'
 Hi sunt invidiae nimirum, Regule, mores,
 praeferat antiquos semper ut illa novis.
 sic veterem ingrati Pompei quaerimus umbram, 5
 sic laudant Catuli vilia templa senes,
 Ennius est lectus salvo tibi, Roma, Marone ;
 et sua riserunt saecula Maeoniden,
 rara coronato plausere theatra Menandro,
 norat Nasonem sola Corinna suum. 10
 Vos tamen o nostri ne festinate libelli :
 si post fata venit gloria, non propero.

XI

Sardonychas, zmaragdos, adamantas, iaspidas uno
 versat in articulo Stella, Severe, meus.
 multas in digitis, plures in carmine gemmas
 invenies : inde est haec, puto, culta manus.

VIII 11 illa B^A 12 lelius B^A : lectus C^A (leitus E ex corr.)
 IX hab. TR
 X hab. T ; vv. 3-4 hab. R 1 fame C^A 3 insunt B^A (in
 pro hi) : hae (haec A¹B) s. C^A 4 antiquis C^A
 XI hab. T 2 portat A^AC^A (cf. XII, 7) : versat B^A

XII

Quod nutantia fronte perticata
 gestat pondera Masclion superbus,
 aut grandis Ninus omnibus lacertis
 septem quod pueros levat vel octo,
 res non difficilis mihi videtur, 5
 uno cum digito vel hoc vel illo
 portet Stella meus decem puellas.

XIII

Sum, fateor, semperque fui, Callistrate, pauper
 sed non obscurus nec male notus eques,
 sed toto legor orbe frequens et dicitur 'Hic est,'
 quodque cinis paucis hoc mihi vita dedit.
 at tua centenis incumbunt tecta columnis 5
 et libertinas arca flagellat opes,
 magnaue Niliacae servit tibi gleba Syenes
 tondet et innumeros Gallica Parma greges.
 hoc ego tuque sumus : sed quod sum non potes esse :
 tu quod es e populo quilibet esse potest. 10

XIV

Sedere primo solitus in gradu semper
 tunc, cum liceret occupare, Nanneius
 bis excitatus terque transtulit castra,
 et inter ipsas paene tertius sellas
 post Gaiumque Luciumque consedit. 5
 illinc cucullo prospicit caput tectus
 oculoque ludos spectat indecens uno.
 et hinc miser deiectus in viam transit,
 subselloque semifultus extremo

XII 1 perticata B^A : pertinaci C^A 2 Masclion Ital. (α μασχάλη
 Gilbert) 3 linus B^A : minus C^A XIII hab. T ; vv. 1-4 hab. R
 8 callica C^A XIV 2 Cum B^A (pro Tum cum ?) : Tunc cum C^A
 3 terque] terque quaterque B^A 8 uia C^A

et male receptus altero genu iactat 10
equiti sedere Leitoque se stare.

XV

Quintus nostrorum liber est, Auguste, iocorum
et queritur laesus carmine nemo meo,
gaudet honorato sed multus nomine lector,
cui victura meo munere fama datur.
'Quid tamen haec prosunt quamvis venerantia multos?' 5
Non prosint sane, me tamen ista iuvant.

XVI

Seria cum possim, quod delectantia malo
scribere, tu causa es, lector amice, mihi,
qui legis et tota cantas mea carmina Roma:
sed nescis quanti stet mihi talis amor.
nam si falciferi defendere templa Tonantis 5
sollicitisque velim vendere verba reis,
plurimus Hispanas mittet mihi nauta metretas
et fiet vario sordidus aere sinus.
at nunc conviva est comissatorque libellus
et tantum gratis pagina nostra placet. 10
sed non et veteres contenti laude fuerunt,
cum minimum vati munus Alexis erat.
'Belle' inquis 'dixi: satis et laudabimus usque.'
Dissimulas? facies me, puto, causidicum.

XIV 11 sedere *Scrivier.*: se dedere *coll.* letoque *BA*
XV hab. *T* 1 locorum *BACA ut. vid.* 3 honorato . . . nomine
AA: honoratus . . . nomine *BA*: honorato . . . carmine *CA* (*cf. v. 2*;
nisi fort. var. lect. antiq. honoratus sed multo carmine) 5 multis
AA: multos *BA* 6 prosint *AA*: prosunt *BA*
XVI hab. *T* 2 causas (*i. e. causa's?*) 1. *BA* 6 sollicitis uelim *BA*
(*pro -isve ve.?*) 8 fieri v. sordibus (-dus *A*) *CA* 9 miseratorque
(*ex miseratusque*) *T*: comisatorque *CA* libellis *CA* 12 nimium
BA 13 velle *CA* (*i. e. belle*) inquit *BACA* dixi *ut. vid.* *T*:
dicti *CA* iuuat et *AA*: satis est *BA*: satis *CA* laudabimus *AA*:
laudabimur *BA*: -mus (*EXG?*) vel -mur (*AVBCC?*) *CA*

XVII

Dum proavos atavosque refers et nomina magna,
dum tibi noster eques sordida condicio est,
dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo
nubere, nupsisti, Gellia, cistibero.

XVIII

Quod tibi Decembri mense, quo volant mappae
gracilesque ligulae cereique chartaeque
et acuta senibus testa cum Damascenis,
praeter libellos vernulas nihil misi,
fortasse avarus videar aut inhumanus. 5
odi dolosas munerum et malas artes:
imitantur hamos dona: namque quis nescit
avidum vorata decipi scarum musca?
Quotiens amico diviti nihil donat,
o Quintiane, liberalis est pauper. 10

XIX

Si qua fides veris, praeferri, maxime Caesar,
temporibus possunt saecula nulla tuis.
quando magis dignos licuit spectare triumphos?
quando Palatini plus meruere dei?
pulchrior et maior quo sub duce Martia Roma? 5
sub quo libertas principe tanta fuit?
est tamen hoc vitium sed non leve, sit licet unum,
quod colit ingratas pauper amicitias.
quis largitur opes veteri fidoque sodali,
aut quem prosequitur non alienus eques? 10
Saturnaliciae ligulam misisse selibrae
flammarisve togae scripula tota decem

XVII hab. *T* 4 cistifero *AA*: cistibero *CA* (*cf. Herm. xxiv, 106*;
Rhein. Mus. liv, 309) XVIII 5 uidear (*Lf*) vel uideor (*PQF*) *BA*
7 donamque *CA* 8 uoratam *BA* muscat *CA* 9 n. di. *BA*
XIX hab. *T*; vv. 15-19 hab. *R* 1 ueri *CA* 5 maior *AA*:
melior *BA* quod *TBA* 7 hoc om. *T* 11-16 nov. epigr. *BACA*
12 tolae (-le) *CA* e lamnisue Tagi Munro scr.] rerpala *T*

luxuria est, tumidique vocant haec munera reges :
 qui crepet aureolos forsitan unus erit.
 quatenus hi non sunt, esto tu, Caesar, amicus : 15
 nulla ducis virtus dulcior esse potest.
 Iam dudum tacito rides, Germanice, naso
 utile quod nobis do tibi consilium.

XX

Si tecum mihi, care Martialis,
 securis liceat frui diebus,
 si disponere tempus otiosum
 et verae pariter vacare vitae :
 nec nos atria nec domos potentum 5
 nec litis tetricas forumque triste
 nossemus nec imagines superbas ;
 sed gestatio, fabulae, libelli,
 campus, porticus, umbra, Virgo, thermae,
 haec essent loca semper, hi labores. 10
 nunc vivit necuter sibi, bonosque
 soles effugere atque abire sentit,
 qui nobis pereunt et inputantur.
 Quisquam vivere cum sciat, moratur?

XXI

Quantum pro Decimo, pro Crasso, Regule, Macrum
 ante salutabat rhetor Apollodotus.
 nunc utrumque suo resalutat nomine. Quantum
 cura laborque potest! Scripsit et edidicit.

XIX 13 tumideque *ut vid.* CA regis BA 17-18 *nov. epigr.*
 B^ACA 18 nouis CA XX 4 *vel uere* 11 necuter s. b.
Schneidewin: neuter sibi bonosque BA: nec ut eius ibo bonosque CA
 XXI hab. T 1 macrum A^ACA: macrum BA 2 Apollodotus
Heinsius: apollodorus *codd.* (*cf. Journ. Phil. xvii, 1*) 4 scripserat
 et dedit A^A: scripsit et edidicit B^ACA

XXII

Mane domi nisi te volui meruique videre,
 sint mihi, Paule, tuae longius Esquiliae.
 sed Tiburtinae sum proximus accola pilae,
 qua videt anticum rustica Flora Iovem :
 alta Suburani vincenda est semita clivi 5
 et numquam sicco sordida saxa gradu,
 vixque datur longas mulorum rumpere mandras
 quaeque trahi multo marmora fune vides.
 illud adhuc gravius quod te post mille labores,
 Paule, negat lasso ianitor esse domi. 10
 exitus hic operis vani togulaeque madentis :
 vix tanti Paulum mane videre fuit.
 Semper inhumanos habet officiosus amicos :
 rex, nisi dormieris, non potes esse meus.

XXIII

Herbarum fueras indutus, Basse, colores,
 iura theatralis dum siluere loci.
 quae postquam placidi censoris cura renasci
 iussit et Oceanum certior audit eques,
 non nisi vel cocco madida vel murice tincta 5
 veste nites et te sic dare verba putas.
 Quadringentorum nullae sunt, Basse, lacernae
 aut meus ante omnis Cordus haberet equum.

XXIV

Hermes Martia saeculi voluptas,
 Hermes omnibus eruditus armis,
 Hermes et gladiator et magister,
 Hermes turba sui tremorque ludi,

XXII 3 sunt *ut vid.* BA (sunt in L, sunt P, sum Q) 5 Sub. Ital.:
 suburbani *codd.* 7 murorum BA rumpere BA: uincere CA
 10 lassa BA 12 tanti] tandem CA XXIII 2 iure CA (non A)
 3 censotus CA 5 tinctam *ut vid.* CA XXIV 3 H. g. (om. et) BA

Hermes, quem timet Helius sed unum, 5
 Hermes, cui cadit Advolans sed uni,
 Hermes vincere nec ferire doctus,
 Hermes subpositicius sibi ipse,
 Hermes divitiae locariorum,
 Hermes cura laborque ludiarum, 10
 Hermes belligera superbus hasta,
 Hermes aequoreo minax tridente,
 Hermes casside languida timendus,
 Hermes gloria Martis universi,
 Hermes omnia solus et ter unus. 15

XXV

'Quadringenta tibi non sunt, Chaerestrata: surge,
 Letus ecce venit: sta, fuge, curre, late.'
 Ecquis, io, revocat discedentemque reducit?
 ecquis, io, largas pandit amicus opes?
 quem chartis famaеque damus populisque loquendum? 5
 quis Stygios non volt totus adire lacus?
 hoc, rogo, non melius quam rubro pulpita nimbo
 spargere et effuso permaduisse croco?
 quam non sensuro dare quadringenta caballo,
 aureus ut Scorpi nasus ubique micet? 10
 O frustra locuples, o dissimulator amici,
 haec legis et laudas? Quae tibi fama perit!

XXVI

Quod alpha dixi, Corde, paenulatorum
 te nuper, aliqua cum iocarer in charta,
 si forte bilem movit hic tibi versus,
 dicas licebit beta me togatorum.

XXIV 8 ipsi BA: ipse CA. 12 aequorea CA
 XXV 2 Letus BA sta] st! Schneidewin 6 qui BA: quis CA
 11 amici BA: amice CA
 XXVI hab. T 2 locarer ut vid. CA 4 beatā T: betam CA

XXVII

Ingenium studiumque tibi moresque genusque
 sunt equitis, fateor: cetera plebis habes.
 bis septena tibi non sint subsellia tanti,
 ut sedeas viso pallidus Oceano.

XXVIII

Vt bene loquatur sentiatque Mamercus,
 efficere nullis, Aule, moribus possis:
 pietate fratres Curvios licet vincas,
 quiete Nervas, comitate Rusones,
 probitate Macros, aequitate Mauricos, 5
 oratione Regulos, iocis Paulos:
 robiginosis cuncta dentibus rodit.
 Hominem malignum forsā esse tu credas:
 ego esse miserum credo, cui placet nemo.

XXIX

Si quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis:
 'Formonsus septem, Marce, diebus eris.'
 Si non derides, si verum, lux mea, narras,
 edisti numquam, Gellia, tu leporem.

XXX

Varro, Sophocleo non infitiande cothurno
 nec minus in Calabra suspiciende lyra,
 differ opus nec te facundi scaena Catulli
 detineat cultis aut elegia comis;
 sed lege fumoso non aspernanda Decembri 5
 carmina, mittuntur quae tibi mense suo:

XXVII vv. 1-2 hab. TR 2 fateor. Cet. pl. h. ! (interrogative)
 Friedlaender phebis (phoe-) CA 3 sint BA: sunt CA
 XXVIII hab. T 1 loquar CA (sed loquatur A) 3 Curvios
 Friedlaender: curios codd. uincat CA 4 qui et ut vid. BA (quiete
 et P, qui et LQ, qui ete f) rusones ACA: drusones BA 7 rodīs
 CA 8 forsitan T XXIX hab. TR 1 gallia AA
 suo
 XXX 2 suscipiende BA 6 nouo BA
 lyram CA

commodius nisi forte tibi potiusque videtur
Saturnalicias perdere, Varro, nuces.

XXXI

Aspice quam placidis insultet turba iuvenis
et sua quam facilis pondera taurus amet.
cornibus hic pendet summis, vagus ille per armos
currit et in toto ventilat arma bove.
at feritas inmota riget: non esset harena
tutior et poterant fallere plana magis.
nec trepidant gestus, sed de discrimine palmae
securus puer est sollicitumque pecus.

XXXII

Quadrantem Crispus tabulis, Faustine, supremis
non dedit uxori. 'Cui dedit ergo?' Sibi.

XXXIII

Carpere causicus fertur mea carmina: qui sit
nescio: si sciero, vae tibi, causicide.

XXXIV

Hanc tibi, Fronto pater, genetrix Flaccilla, puellam
oscula commendo deliciasque meas,
parvola ne nigras horrescat Erotion umbras
oraque Tartarei prodigiosa canis.
inpletura fuit sextae modo frigora brumae,
vixisset totidem ni minus illa dies.
inter tam veteres ludat lasciva patronos
et nomen blaeso garriat ore meum.
mollia non rigidus caespes tegat ossa nec illi,
terra, gravis fueris: non fuit illa tibi.

XXXI hab. T 2 tam BA amat T 3 hinc CA 7 sed (set)
de ABA: et ne CA parmas CA XXXIII hab. TR XXXIV
hab. TR 3 sqq. nov. epigr. codd.: corr. Ital. 3 paruula (-uola) ne
ACA: pallida nec BA 5 sexto ut vid. AA 6 ne ACA 7
i.t.] interim CA (pro interiam, i pro T) 8 blesso AA 9 non r.
ACA: nec r. BA

XXXV

Dum sibi redire de Patrensibus fundis
ducena clamat coccinatus Euclides
Corinthioque plura de suburbano
longumque pulchra stemma repetit a Leda
et suscitanti Leito reluctatur,
equiti superbo, nobili, locupleti
cecidit repente magna de sinu clavis.
Numquam, Fabulle, nequior fuit clavis.

XXXVI

Laudatus nostro quidam, Faustine, libello
dissimulat, quasi nil debeat: inposuit.

XXXVII

Puella senibus dulcior mihi cynnis,
agna Galaesi mollior Phalantini,
concha Lucrini deliciarior stagni,
cui nec lapillos praeferas Erythraeos
nec modo politum pecudis Indicae dentem
nivesque primas liliumque non tactum;
quae crine vicit Baetici gregis vellus
Rhenique nodos aureamque nitellam;
fragravit ore quod rosarium Paesti,
quod Atticarum prima mella cerarum,
quod sucinorum rapta de manu gleba;
cui comparatus indecens erat pavo,
inamabilis sciurus et frequens phoenix,
adhuc recenti tepet Erotion busto,
quam pessimorum lex amara fatorum
sexta peregit hieme, nec tamen tota,

XXXV 1 Patr. Ital.: patruensibus codd. 5 et suscitanti si ei tore
luctatur BA 6 equitis urbo BA XXXVII vv. 1-7, 9-14,
hab. T 4 praeferens BA (pro-res?) 5 indicentem T: indicae
gentem CA 7 crimine T: nigre CA vellus om. T 8 nitellam
codd. 12 pavo AA (-no T) BA: pauus CA 13 chyryrus BA:
scyryrus CA 16 hiemem ec CA

nostros amores gaudiumque lususque.
 et esse tristem me meus vetat Paetus,
 pectusque pulsans pariter et comam vellens :
 'Deflere non te vernulae pudet mortem ?' 20
 ego coniugem' inquit 'extuli et tamen vivo,
 notam, superbam, nobilem, locupletem.'
 Quid esse nostro fortius potest Paeto ?
 ducentiens accepit et tamen vivit.

XXXVIII

Calliodorus habet censum—quis nescit?—equestrem,
 Sexte, sed et fratrem Calliodorus habet.
 'Quadringenta seca' qui dicit σὺκα μερίζει :
 uno credis equo posse sedere duos ?
 quid cum fratre tibi, quid cum Polluce molesto ? 5
 non esset Pollux si tibi, Castor eras.
 unus cum sitis, duo, Calliodore, sedebis ?
 surge : σολοικισμὸν, Calliodore, facis.
 aut imitare genus Ladae— cum fratre sedere
 non potes—: alternis, Calliodore, sede. 10

XXXIX

Supremas tibi triciens in anno
 signanti tabulas, Charine, misi
 Hyblaeis madidas thymis placentas.
 defeci : miserere iam, Charine :
 signa rarius, aut semel fac illud, 5
 mentitur tua quod subinde tussis.
 excussi loculosque sacculumque :
 Croeso divitior licet fuissem,
 Iro pauperior forem, Charine,
 si conchem totiens meam comesses. 10

17 lesusque ut vid. CA (non A) 22 noram CA, unde noram
 s., n., l. (poetae, non Paeto, versu dato) Schenkl XXXVIII
 3 seca Rutgers: secat codd. μερίζει Paley: μερίζει (merize) codd.:
 'qu. seca' qui dicis, σ. μερίζει Postgate (Journ. Phil. xx, 40) 7
 duos CA sedebis Markland MS. in exempl. suo: sedetis codd.
 XXXIX 9 Iro] Pro CA 10 conchem BA

XL

Pinxisti Venerem, colis, Artemidore, Minervam :
 et miraris opus displicuisse tuum ?

XLI

Spadone cum sis evirator fluxo,
 et concubino mollior Celaenaeo,
 quem sectus ululat matris entheae Gallus,
 theatra loqueris et gradus et edicta
 trabeasque et Idus fibulasque censusque, 5
 et pumicata pauperes manu monstras.
 Sedere in equitum liceat an tibi scamnis
 videbo, Didyme : non licet maritorum.

XLII

Callidus effracta nummos fur auferet arca,
 prosternet patrios impia flamma lares :
 debitor usuram pariter sortemque negabit,
 non reddet sterilis semina iacta seges :
 dispensatorem fallax spoliabit amica, 5
 mercibus extractas obruet unda rates.
 extra fortunam est quidquid donatur amicis :
 quas dederis solas semper habebis opes.

XLIII

Thais habet nigros, niveos Laecania dentes.
 quae ratio est ? Emptos haec habet, illa suos.

XLIV

Quid factum est, rogo, quid repente factum,
 ad cenam mihi, Dento, quod vocanti,—
 quis credat ?—quater ausus es negare ?
 sed nec respicis et fugis sequentem,

XLI 2 caeleno BA 3 sextus CA entheaeus (om. Gall-) CA
 5 fabulasque BA 7 in eq.] nequitum BA XLII 2 patruos CA
 3-4 nov. epigr. codd.: corr. Ital. 5-8 nov. epigr. codd.: corr. Ital.
 7 quicquid (-dq-) BA: siquid CA XLIV 1 repeten ut vid. CA
 factum est BA: factum CA: fort. factumst

quem thermis modo quaerere et theatris 5
 et conclavibus omnibus solebas.
 Sic est, captus es unctiore mensa
 et maior rapuit canem culina.
 iam te, sed cito, cognitum et relictum
 cum fastidierit popina dives, 10
 antiquae venies ad ossa cenae.

XLV

Dicis formonsam, dicis te, Bassa, puellam.
 istud quae non est dicere, Bassa, solet.

XLVI

Basia dum nolo nisi quae luctantia carpsi
 et placet ira mihi plus tua quam facies,
 ut te saepe rogem, caedo, Diadumene, saepe:
 consequor hoc, ut me nec timeas nec ames.

XLVII

Numquam se cenasse domi Philo iurat, et hoc est:
 non cenat, quotiens nemo vocavit eum.

XLVIII

Quid non cogit amor? secuit nolente capillos
 Encolpos domino, non prohibente tamen.
 permisit flevitque Pudens: sic cessit habenis
 audaci questus de Phaethonte pater:
 talis raptus Hylas, talis deprensus Achilles 5
 deposuit gaudens, matre dolente, comas.

9 sedicito CA
 XLV hab. TR 2 quod . . . soles AA (-et T¹): quae . . . solet
 BACA
 XLVI hab. TR 1 carpis CA 3 credo AABA: caedo CA
 4 consequor AACA: consequar BA ut om. BA
 XLVII hab. T
 XLVIII 1 capillo CA (-um G)

sed tu ne propera—brevibus ne crede capillis—
 tardaue pro tanto munere, barba, veni.

XLIX

Vidissem modo forte cum sedentem
 solum te, Labiene, tres putavi.
 calvae me numerus tuae fefellit:
 sunt illinc tibi, sunt et hinc capilli
 quales vel puerum decere possunt; 5
 nudumst in medio caput nec ullus
 in longa pilus area notatur.
 Hic error tibi profuit Decembri,
 tunc cum prandia misit Imperator:
 cum panariolis tribus redisti. 10
 Talem Geryonen fuisse credo.
 vites censeo porticum Philippi:
 si te viderit Hercules, peristi.

L

Ceno domi quotiens, nisi te, Charopine, vocavi,
 protinus ingentes sunt inimicitiae,
 meque potes stricto medium transfigere ferro,
 si nostrum sine te scis caluisse focum.
 nec semel ergo mihi furtum fecisse licebit? 5
 improbius nihil est hac, Charopine, gula.
 desine iam nostram, precor, observare culinam,
 atque aliquando meus det tibi verba cocus.

LI

Hic, qui libellis praegravem gerit laevam,
 notariorum quem premit chorus levis,

XLVIII 7 ne crede BA: nec crede CA (sed ne crede CG)
 XLIX hab. T 3 numeros BA 4 sint et T 5 uel AABA:
 nec CA possunt AABA: possint CA 6 nudus est (es P²) BA
 7 pilus om. T 9 tum AA: tunc BACA inperator E
 L hab. T 1 uocatur T (pro vocato?) 3 uelis AA: putes BA
 (pro potes): potes CA 8 focus AA: cocus BACA LI hab. T

qui codicillis hinc et inde prolatis
epistolisque commodat gravem voltum
similis Catoni Tullioque Brutoque,
exprimere, Rufe, fidiculae licet cogant,
have Latinum, χαίρει non potest Graecum.
si fingere istud me putas, salutemus.

LII

Quae mihi praestiteris memini semperque tenebo.
cur igitur taceo, Postume? Tu loqueris.
incipio quotiens alicui tua dona referre,
protinus exclamat 'Dixerat ipse mihi.'
Non belle quaedam faciunt duo: sufficit unus
huic operi: si vis ut loquar, ipse tace.
crede mihi, quamvis ingentia, Postume, dona
auctoris pereunt garrulitate sui.

LIII

Colchida quid scribis, quid scribis, amice, Thyesten?
quo tibi vel Nioben, Basse, vel Andromachen?
materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis
Deucalion vel, si non placet hic, Phaethon.

LIV

Extemporalis factus est meus rhetor:
Calpurnium non scripsit, et salutavit.

LV

Dic mihi, quem portas, volucrum regina? 'Tonantem.'
Nulla manu quare fulmina gestat? 'Amat.'
Quo calet igne deus? 'Pueri.' Cur mitis aperto
respicias ore Iovem? 'De Ganymede loquor.'

LI 6 exprimere *AA* 7 potes *CA* 8 salutem *TL*
LII hab. *TR* 7 dones *CA*
LIII hab. *T* 1 quid scribis quod scribis *CA* 2 quod *T*
4 vel *AA**CA*: aut *BA*
LV 1 portas *BA*: portes *CA*

LVI

Cui tradas, Lupe, filium magistro
quaeris sollicitus diu rogasque.
Omnes grammaticosque rhetorasque
devites moneo: nihil sit illi
cum libris Ciceronis aut Maronis,
famae Tutilium suae relinquat;
si versus facit, abdicet poetam.
artes discere vult pecuniosas?
fac discat citharoedus aut choraules;
si duri puer ingeni videtur,
praeconem facias vel architectum.

LVII

Cum voco te dominum, noli tibi, Cinna, placere:
saepe etiam servum sic resaluto tuum.

LVIII

Cras te victurum, cras dicis, Postume, semper.
dic mihi, cras istud, Postume, quando venit?
quam longe cras istud, ubi est? aut unde petendum?
numquid apud Parthos Armeniosque latet?
iam cras istud habet Priami vel Nestoris annos.
cras istud quanti, dic mihi, posset emi?
cras vives? hodie iam vivere, Postume, serum est:
ille sapit quisquis, Postume, vixit heri.

LIX

Quod non argentum, quod non tibi mittimus aurum
hoc facimus causa, Stella diserte, tua.
quisquis magna dedit, voluit sibi magna remitti;
fictilibus nostris exoneratus eris.

LVI 1 lupem *BA* 4 diuites *BA* (*cum EG*) 6 utilium *CA*
relinquat *BA*: relinquis *CA* LVII hab. *TR* 2 resaluto *AA*
(*cum L*) tuum *ex meum BA* LVIII 1 te] bene *D* 3 longe
est *BA*: longe (*om. est*) *CA*: fort. longest 6 posset *BA*: possit
CA 7 vives] uiuis *BA* tardum *BA*: serum *CA*

LX

Adlatres licet usque nos et usque
 et gannitibus improbis lacessas,
 certum est hanc tibi pernegare famam,
 olim quam petis, in meis libellis
 qualiscumque legaris ut per orbem. 5
 Nam te cur aliquis sciat fuisse?
 ignotus pereas, miser, necesse est.
 non derunt tamen hac in urbe forsan
 unus vel duo tresve quattuorve,
 pellem rodere qui velint caninam: 10
 nos hac a scabie tenemus ungues.

LXI

Crispulus iste quis est, uxori semper adhaeret
 qui, Mariane, tuae? crispulus iste quis est?
 nescio quid dominae teneram qui garrir in aurem
 et sellam cubito dexteriore premit? 5
 per cuius digitos currit levis anulus omnis,
 crura gerit nullo qui violata pilo?
 nil mihi respondes? 'Vxoris res agit' inquis
 'iste meae.' Sane certus et asper homo est,
 procuratorem voltu qui praeferat ipso:
 acrior hoc Chius non erit Aufidius. 10
 O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini:
 te successurum credo ego Panniculo.
 res uxoris agit? res ullas crispulus iste?
 res non uxoris, res agit iste tuas.

LXII

Iure tuo nostris maneat licet, hospes, in hortis,
 si potes in nudo ponere membra solo,

LX 4 a BA: in CA 5 urbem BA: orbem CA 8 derunt] erunt BA
 LXI 7 agis CA ut vid. inquit BA 9 proferat CA 11
 erat CA ut vid. (sed eras A) 12 ego om. CA ut vid. (hab. A)

aut si portatur tecum tibi magna supellex:
 nam mea iam digitum sustulit hospitibus.
 nulla tegit fractos—nec inanis—culcita lectos, 5
 putris et abrupta fascia recte iacet.
 sit tamen hospitium nobis commune duobus:
 emi hortos; plus est: instrue tu; minus est.

LXIII

'Quid sentis' inquis 'de nostris, Marce libellis?'
 sic me sollicitus, Pontice, saepe rogas.
 Admiror, stupeo: nihil est perfectius illis,
 ipse tuo cedit Regulus ingenio.
 'Hoc sentis?' inquis 'faciat tibi sic bene Caesar, 5
 sic Capitolinus Iuppiter.' Immo tibi.

LXIV

Sextantes, Calliste, duos infunde Falerni,
 tu super aestivas, Alcime, solve nives,
 pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo
 lassenturque rosis tempora sutilibus.
 tam vicina iubent nos vivere Mausolea, 5
 cum doceant ipsos posse perire deos.

LXV

Astra polumque dedit, quamvis opstante noverca,
 Alcidae Nemees terror et Arcas aper
 et castigatum Libycae ceroma palaestrae
 et gravis in Siculo pulvere fusus Eryx,
 silvarumque tremor, tacita qui fraude solebat 5
 ducere non rectas Cacus in antra boves.
 Ista tuae, Caesar, quota pars spectatur harenae?
 dat maiora novus proelia mane dies.

LXII 4 dicitum CA 6 fascea BA 8 instructum m. BA
 (tum pro tu) LXIV 1 infundi CA 4 subtilibus ut vid.
 BA 5 Tam BA: iam CA LXV 2 nemees (-eae) est t.
 CA terrore marcas BA 4 sicula BA tusus BA: fusus
 CA (cf. Gilbert ad loc.) 6 non BA: nec CA

quot graviora cadunt Nemeaeo pondera monstro!
 quot tua Maenaios conlocat hasta sues! 10
 reddatur si pugna triplex pastoris Hiberi,
 est tibi qui possit vincere Geryonen.
 saepe licet Graiae numeretur belua Lernaee,
 improba Niliacis quid facit Hydra feris?
 Pro meritis caelum tantis, Auguste, dederunt 15
 Alcidae cito di sed tibi sero dabunt.

LXVI

Saepe salutatus numquam prior ipse salutas:
 sic eris Aeternum, Pontiliane, Vale.

LXVII

Hibernos peterent solito cum more recessus
 Atthides, in nidis una remansit avis.
 deprendere nefas ad tempora verna reversae
 et profugam volucres diripere suae.
 sero dedit poenas: discerpi noxia mater 5
 debuerat, sed tunc cum laceravit Ityn.

LXVIII

Arctoa de gente comam tibi, Lesbia, misi,
 ut scires quanto sit tua flava magis.

LXIX

Antoni Phario nihil obiecture Pothino
 et levius tabula quam Cicerone nocens:
 quid gladium demens Romana stringis in ora?
 hoc admisisset nec Catilina nefas.
 impius infando miles corrumpitur auro, 5
 et tantis opibus vox tacet una tibi.

9 maiora *B^A* (*cf. v. 8*) 11 si *om. B^A* 13 quidem *B^A*:
 licet *C^A*
LXVI hab. TR
LXVII hab. T 2 atthidis *B^A* 4 deripere *A^AC^A* suam
A^AN: suae *B^AC^A* 6 lacerat *L ante corr.*
LXVIII hab. T LXIX 2 noces *C^A* 4 mississet *E*

quid prosunt sacrae pretiosa silentia linguae?
 incipient omnes pro Cicerone loqui.

LXX

Infusum sibi nuper a patrono
 plenum, Maxime, centiens Syriscus
 in sellariolis vagus popinis
 circa balnea quattuor peregit.
 O quanta est gula, centiens comesse! 5
 quanto maior adhuc, nec accubare!

LXXI

Vmida qua gelidas summittit Trebula valles
 et viridis cancri mensibus alget ager,
 rura Cleonaeo numquam temerata leone
 et domus Aeolio semper amica Noto
 te, Faustine, vocant: longas his exige messes 5
 collibus; hibernum iam tibi Tibur erit.

LXXII

Qui potuit Bacchi matrem dixisse Tonantem,
 ille potest Semelen dicere, Rufe, patrem.

LXXIII

Non donem tibi cur meos libellos
 oranti totiens et exigenti
 miraris, Theodore? Magna causa est:
 dones tu mihi ne tuos libellos.

LXXIV

Pompeios iuvenes Asia atque Europa, sed ipsum
 terra tegit Libyes, si tamen ulla tegit.
 quid mirum toto si spargitur orbe? Iacere
 uno non poterat tanta ruina loco.

LXXI 1 quae *B^A* 5 fauste *B^A* hic *C^A*
 LXXIV hab. *TR* 2 u. uegit *C^A* 4 ruina tanta *B^A*

LXXV

Quae legis causa nupsit tibi Laelia, Quinte,
uxorem potes hanc dicere legitimam.

LXXVI

Profecit poto Mithridates saepe veneno
toxica ne possent saeva nocere sibi.
tu quoque cavisti cenando tam male semper
ne posses umquam, Cinna, perire fame.

LXXVII

Narratur belle quidam dixisse, Marulle,
qui te ferre oleum dixit in auricula.

LXXVIII

Si tristi domicenio laboras,
Torani, potes esurire mecum.
non derunt tibi, si soles *προπίνειν*,
viles Cappadocae gravesque porri,
divisis cybium latebit ovis. 5
ponetur digitis tenendus ustis
nigra coliculus virens patella,
algentem modo qui reliquit hortum,
et pultem niveam premens botellus,
et pallens faba cum rubente lardo. 10
Mensae munera si voles secundae,
marcentes tibi porrigentur uvae
et nomen pira quae ferunt Syrorum,
et quas docta Neapolis creavit,
lento castaneae vapore tostae: 15
vinum tu facies bonum bibendo.
Post haec omnia forte si movebit

LXXV 1 qua BA LXXVI hab. TR 1 proficit AA toto
BA CA 2 possint AA BA : possent CA 4 possis AA : posses BA CA
LXXVIII 7 nigras CA culiculus BA 8 qui modo BA 13
ferunt] perunt BA 15 testae CA (cum L ante corr.) (e pro o)

Bacchus quam solet esuritionem,
succurrent tibi nobiles olivae, 20
Piceni modo quas tulere rami,
et fervens cicer et tepens lupinus.
Parva est cenula,—quis potest negare?—
sed finges nihil audiesve fictum
et voltu placidus tuo recumbes;
nec crassum dominus leget volumen, 25
nec de Gadibus improbis puellae
vibrabunt sine fine prurientes
lascivos docili tremore lumbos;
sed quod nec grave sit nec infacetum,
parvi tibia Condyli sonabit. 30
Haec est cenula. Claudiam sequeris.
Quam nobis cupis esse tu priorem?

LXXIX

Vndecies una surrexti, Zoile, cena,
et mutata tibi est synthesis undecies,
sudor inhaereret madida ne veste retentus.
et laxam tenuis laederet aura cutem.
Quare ego non sudo, qui tecum, Zoile, ceno? 5
Frigus enim magnum synthesis una facit.

LXXX

Non totam mihi, si vacabis, horam
dones et licet inputes, Severe,
dum nostras legis exigisque nugas.
'Durum est perdere ferias': rogamus
iacturam patiaris hanc ferasque.
quod si legeris ista cum diserto
—sed numquid sumus improbi?—Secundo,

24 placido L: placidis CA 29 quo nec BA: quod non CA
30 vel condyli 32 nobis] novi Duff turpiorem ed. a. 1473
(sed cf. Greenough Harv. Stud. i. 191) LXXIX hab. T: vv.
5-6 hab. R 1 surrexit BA (non Q) CA 3 ni BA LXXX
1 uacabit BC 5 iam turam CA (non A) 6 ipsam CA (ipsa
A): ipse Schneidewin

M. VAL. MARTIALIS

plus multo tibi debiturus hic est
quam debet domino suo libellus.
nam securus erit, nec inquieta
lassi marmora Sisyphei videbit,
quem censoria cum meo Severo
docti lima momorderit Secundi.

10

LXXXI

Semper pauper eris, si pauper es, Aemiliane.
dantur opes nullis nunc nisi divitibus.

LXXXII

Quid promittebas mihi milia, Gaure, ducenta,
si dare non poteris milia, Gaure, decem?
an potes et non vis? Rogo, non est turpius istud?
i, tibi dispereas, Gaure: pusillus homo es.

LXXXIII

Insequeris, fugio; fugis, insequor; haec mihi mens est:
velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

LXXXIV

Iam tristis nucibus puer relictis
clamoso revocatur a magistro,
et blando male proditus fritillo,
arcana modo raptus e popina,
aedilem rogat udus aleator.
Saturnalia transiere tota,
nec munuscula parva nec minora
misisti mihi, Galla, quam solebas.
Sane sic abeat meus December:
scis certe, puto, vestra iam venire
Saturnalia, Martias Kalendas;
tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.

5

10

LXXXI hab. TR 2 nulli A^A ut vid. (-li T: -lius R) D (cum X):
nullis B^A C^A LXXXII hab. TR 4 i] si A^A (cum X), unde si tibi
dispendas, G., p. h. e. (?) Gilbert est A^A: es B^A C^A LXXXIII
hab TR LXXXIV 3 fritillos B^A 5 aedilum C^A 9
habeat codd. (abeat QF)

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATON

LIBER VI

I

SEXTVS mittitur hic tibi libellus,
in primis mihi care Martialis:
quem si terseris aure diligenti,
audebit minus anxius tremensque
magnas Caesaris in manus venire.

5

II

Lusus erat sacrae conubia fallere taedae,
lusus et inmeritos execuisse mares.
utraque tu prohibes, Caesar, populisque futuris
succurris, nasci quos sine fraude iubes.
nec spado iam nec moechus erit te praeside quisquam:
at prius—o mores!—et spado moechus erat.

5

III

Nascere Dardanio promissum nomen Iulo
vera deum suboles; nascere, magne puer,
cui pater aeternas post saecula tradat habenas,
quique regas orbem cum seniore senex.
ipsa tibi niveo trahet aurea pollice fila
et totam Phruxi Iulia nebit ovem.

5

I 5 magna B^A II hab. T 1 serae B^A tede (L) vel fede
(fac-) (Qf) B^A 2 etiam merito C^A 4 quod A^A: quos B^A C^A
5 te pr.] trepside C^A quisque (-q:) A^A C^A III 2 soboles codd.
6 toto (PQf) vel tota (L) B^A nebit ut vid. ex nubit B^A